



1. 227-1326



1723
17
PROBLEMA JVRIS PVBLICI,
AN

POENÆ VIVENTIVM,
EOS INFAMANTES,
SINT ABSVRDÆ, ET
ABROGANDÆ?

QVOD

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

PRÆSIDE

DN. CHRISTIANO THOMASIO, JCTO,
SACRÆ REG. MAJEST. BORVSS. CONSILIARIO INTIMO,
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ DIRECTORE, PROFESSORE JVRIS
PRIMARIO, FACVLTATIS JVRIDICÆ PRÆSIDE ORDINARIO

& h. t. DECANO

D. V. APRILIS ANNI MDCCXXIII.

H. L. Q. C.

PVBLICO EXAMINI SVBJICIET

AVCTOR

JOHANNES HENRICVS DE KALM,
BRVNSVICENSIS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,
LITERIS Salfeldianis.





A SON ALTESSE SERENISSIME,
MONSEIGNEUR
LE PRINCE
AUGUSTE
GUILLAUME,
Duc de Bronsvvic &
Lunebourg.



MONSEIGNEUR,



Pres auoir consultè mon coeur &
mon deuoir, je n' ai point ba-
lancé sur le choix du Protecteur,
que je devois prendre pour met-
tre à l' abri de son nom la dissertation, que
j' expose au public. Quand je n' aurois pas
le

le glorieux auantage d' estre nè fujet de V. A. S., mon inclination m' auroit porté a lui consacrer les premices de mes etudes Academi-ques. Le souuenir de la tres precieuse bienveillance dont V. A. S. a continuellement honorè mon pere, & en particulier la tendre & respectueuse reconnoissance, que je conserue de ses graces signalées m' est vn puissant aiguillon à profiter de la premiere occasion, qui s' offre de Lui donner des marques, quoique foibles, du Zele ardent, que j' ai pour Son seruice, j' ose me flatter, MONSEIGNEUR, que V. A. S. daignera jeter vn oeil fauorable sur ce petit ouurage, tout chetif qu'il est.

)(3

Cette



A Cette genereuse bontè, qui est si naturel-
le à V. A.S. & qui la rend accessible à chacun,
semble autoriser suffisamment la liberté, que
je prend. Je me sens d' autant plus enhardi
à m'y abandonner, qu'elle est accompagnèe
de tous les sentimens de la plus profonde
veneration, qui me font etre sans reserve

MONSEIGNEUR

DE VOTRE ALTESSE SERENISSIME

à Halle ce 5.
Avril 1723.

Le très-humble, très-obeissant, & très-fidelle
sujet & serviteur

JEAN HENRY DE KALM.




SUMMARIA.

Dubia, an questio proposita sit dubia? §. I. Sententia Titii JCI
 questionem affirmans. Monita quedam contra eam: Methodus
 dicendorum: §. II. Praxis legum vivis infamantium apud Ju-
 daeos. §. III. Apud Aegyptios §. IV. Apud Græcos. §. V. Ipse
 Aristotele id sciadente. §. VI. Apud Romanos ante Imperatores.
 §. VII. Etiam intutu Carnificis & similitum. §. VIII. Item Actorum
 fabularum. §. IX. Denique apud Germanos §. X. Etiam intutu ho-
 minum nullius criminis Reorum: §. XI. Rationes justitiam hujus
 praxeos docentes. §. XII. Responso ad rationes Titii §. XIII. Fons
 erroris hujus. §. XIV. Defensio Titii. Monita quedam generalia
 §. XV. Pæna infamantes apud Judæos per legem Mosaicam nequa-
 quam sunt introductæ. §. XVI. Responso ad exempla Aegyptiorum,
 §. XVII. Græcorum. §. XVIII. Romanorum. §. XIX. in specie
 de infamia Carnificis & similitum. §. XX. de Actoribus fabularum.
 §. XXI. Responso ad exempla Germanorum. §. XXII. In specie
 de horum stupiditate §. XXIII. Responso ad rationes dissentientium a
 Titio §. XXIV. In specie de infamia hodierna Carnificum & Actorum
 §. XXV. Defensio rationum Titii §. XXVI. Fons erroris dissen-
 dentium a Titio, errorumque odium in doctores juris naturalis §.
 XXVII. Monita generalia de utraque classe dissentientium §. XXVIII.
 Transitus ad hanc sententiam. Formatio status controversæ. §. XXIX.
 Pæna quid hic denotent. §. XXX. Quid pæna vineptium §. XXXI.
 Infamia quid sit quinam ejus effectus jure Romano. §. XXXII. Do-
 ctorum dissentio. §. XXXIII. Monita de interis effectibus infamie,
 eorumque facili evagatione. §. XXXIV. Exigni effectus pænarum in-
 famantium apud Romanos intutu Græcorum. §. XXXV. Exiguus
 usus titulorum juris Romani de infamia apud Germanos. §. XXXVI.

SUMMARI A.

In specie de quaestione, quando & cur illius fustium infamet. §. XXXVII
 Cur doctrina de infamia & pœnis infamantibus etiam ex jure Ger-
 manico & ejus interpretibus peti nequeat. §. XXXIX. Neque etiam
 ex scriptoribus juris naturæ & gentium, vel doctrina Politica §.
 XXXIX. Fama Politica quid & quoruplex §. XL. Infamia Po-
 litica homonymia §. XLI. Infames improprie dicti, (Ehrlose)
 quoruplices. §. XLII. Infames proprie dicti, (Unehrlische) quo-
 modo intuitu Principis differant a præcedentibus. §. XLVIII. Pœ-
 narum infamantium varie divisiones. §. XLIV. Non omnes pœnis
 infamant, tam capitales; §. XLV. Quam non capitales. §. XLVI.
 In specie multæ. §. XLVII. Quæstiones de pœnis capitalibus infa-
 mantibus & earum justitia. §. XLIX. Pœne viventium eos in-
 famantes duplicis generis §. XLIX. Monita, quid hic significet pœna
 absurda. §. L. Summa rationum quod pœne perpetuæ infamantes
 principii sane Politicæ repugnent §. LI. Quid de pœnis ad tempus
 infamantibus sentiendum? §. LII. Eas non quidem esse noxias Rei-
 publicæ, sed tamen nec multum utiles. §. LIII. Causa impulsiva &
 scopus pœnarum infamantium introductarum. §. LIV. Quæ pro-
 bantur per exempla populorum talibus pœnis utentium §. LV. Et
 illustrantur exemplis eorum, qui in Germania, quamvis crimine vacui,
 ab opificiis, ut infames fuere exclusi §. LVI. Cautela circa abroga-
 tionem talium pœnarum infamantium adhibende §. LVII,
 Subjunctis paucis quibusdam exemplis §. LIX.





PROBLEMA JURIS PUBLICI.
AN POENÆ VIVENTIUM, EOS
INFAMANTES, SINT ABSVRDÆ
ET ABROGANDÆ?

§. I.



Traberis forte, quomodo fieri potuerit, Dubia, an
ut quaestionem propositam, tanquam du-
biam & problematice tractandam in titulo
posuerim, cum tamen ubique gentium
ejusmodi poenæ infamantes omni tem-
pore fuerint receptæ, nec de earum justi-
tia aut utilitate intuitu reipublicæ us-
quam homo sanæ mentis dubitaverit, questio pro-
posita sit
dubia?

sed potius easdem communibus principiis juris naturæ & gentium, item politicis niti ac hætenus cum fructu fuisse non solum retentas, sed & subinde auctas & extensas & ratio dicet & experientia doceat, neque solum Jcti hic sint unanimes, sed & Reverendi Theologi ea de re non dubitent, tantum abest, ut contradicant, quin potius timendum sit, ne assertionem huius quaestionis si non Anabaptisticam, saltem hæreticam declaraturæ sint omnes Facultates Theologicæ omnium

A

nium

nium trium in Sacro Romano imperio hactenus receptarum Religionum dominantium. Adde: Non quidem esse ignotum, quod jam anno 1698. quidam vir probus & sincerus, qui nomen verum sub effictio Justiniani Clementis Leucopolitani tegere voluit, in scripto Germanico, cui titulus: Gewissenhafte Anmerkungen von dem Amte einer Christlichen Obrigkeit, sonderlich, die in Beziehung auff Göttliche und weltliche Rechte eingeführte Straffen der Ubelthäter betreffend, allen Christlich gesinnten Richtern und Rechtsgelehrten auch Wahrheit liebenden Theologen zu reiffen Nachsinnen in Bescheidenheit vorgeleget; inter alia declaraverit §. 9. 10. 11. p. 9. seq. poenas capitales finem propositum, emendationem aliorum, non obtinere, sed potius quotidianam testari experientiam, quod non obstantibus frequentibus executionibus ejusmodi pœnarum v. g. furti, vel in ipso momento & in loco executionis capitalis furta plurima committantur, tum etiam multas alias pœnas non capitales ita comparatas esse, daß Sie, ut verba autoris ipsa adducam, mehr Schaden und Verderben als Nutzen nach sich ziehen. Denn was zum Exempel den öffentlichen Staupenschlag, Brandmarcken, Hand abhauen, und die damit verbundene Landes = Verweisung betrifft, so sind selbige auff gewisse masse härter als die Lebensstraffe selber, in dem Sie entweder einen solchen Menschen auff seine ganze Lebenszeit an Leibe untüchtig machen, oder per infamiam indelebilem in solchen Zustand setzen, daß er aus der Gemeinschaft aller Ehelich gehaltenen Leute auff einmahl ausgestossen, unstät und süchtig seyn, und wenn es Ihm an rechter Erkenntniß des Guten nebst andern Hülfsmitteln fehlet, nothwendig mit andern seinesgleichen allerhand desperata consilia ergreifen muß, so lange, biß er doch zuletzt dem Scharffrichter wieder unter die Hände fällt, wann er nun in andern Landen, dahin man Ihn zu deren Ueberlast durch die Verweisung ausgetrieben, in neuen Ubelthaten ist ergriffen worden. Sed his non obstantibus haud dubie urgebis, notum etiam esse, quod tota illa meditatio Justiniani illius Clementis à nemine neque Theologorum neque Jctorum aut Judicum fuerit vel approbata, vel saltem

tem pro digna habita, quæ responſionem mereretur, cum orania, quæ ipſe, circa emendationem navorum propoſitorum, proponit conſilia, plane ſint ita comparata, ut nec in praxin deduci, nec ullum effectum emendationis in ſtatu præſenti producere valeant, ſed ſaltem teſtentur, Autorem, neſcio qua idea Theocraticæ cujuſdam, aut potius Reipublicæ cuiuſdam quaſi Platonicæ fuiſſe occupatum, ac intempetiſtis ſcrupulis conſcientiæ erroneæ, qui ipſum ad ſcribendas illas animadverſiones impulerint, adeoque excuſandum quidem eſſe, ſed non ſequendum.

§. II.

Et in eo quidem hactenus conſentio, conſilia iſta exigui aut nullius roboris eſſe, neque etiam tolli poſſe è rebus publicis Chriſtianorum pœnas capitales (eſti ad aliam diſquiſitionem peculiarem pertineat, annon multæ apud Chriſtianos receptæ pœnæ capitales emendationem ob varias eaſque graves cauſas mereantur;) interim tamen neſcio, annon verba Autoris illius adducta de pœnis infamantibus ita ſint comparata, ut vel in ſenſu omnium ſtatim incurrant, adeoque nullo dubio ſubjecta ſint. Cum vero conſtet, Autorem illum in plerisque, eſti bona fide erraſſe, nec JCtum fuiſſe, ſeponam pauliſper eundem, cum non deſit JCti excellentiſ & famigeratiſſimi doctrina, quaſtionem propoſitam affirmans, ſive Eidem occaſionem præſtiterit lectio conſilii modo memorati, ſive etiam ipſe ſine ſubſidiis aliorum, in mente ſua illam conceperit. Eſt vero iſe Gottlieb Gerhardus Titius, cujuſ jam Anno 1702. in *obſervat. ad Lauterb. obſ. 82. p. 68.* verba ſunt ſequentia: *Ceterum ſicut in infamia tam irroganda, quam tollenda aut impedienda fortaiſſis non ubique prudenter verſati ſunt Romani, ita in univerſum infamia juris, quatenus viventibus imponitur, abſurdum pœnæ genus cenſeri debet, neque enim delinquentes emendat, qui legitimus omnium pœnarum, viventibus imponendarum eſt ſcopus, ſed ad majora potius facinora patranda diſponit. Ex quo ſequitur, quod merito illa pœna uſum habere non debeat. Eandem doctrinam ſed paucioribus verbis repetiit idem anno ſe-*

Sententia Titii JCti quaſtionem affirmans.

Monita quædam generalia contra eum.

Methodus dicendorum

quente 1703, in *obs. ad Pufend. obs. 663, p. 661.* nisi quod hic loco rationis, quod infamia delinquentes non emendet, magis perspicue posuerit, quod ad bene faciendum ineptos faciat. Denique Anno 1707, in *jure privato lib. 3, cap. 3, §. 23, p. 320.* pene iisdem verbis, quibus utrobique usus fuerat, tertia vice assertionem suam repetiit, nisi quod non vocet amplius *absurdum pœna genus* & loco verborum, quod usum habere non debeat, magis perspicue posuerit, eam merito abrogari debere. Et tamen, quantum memini, nemo repertus fuit, qui virum celebrem hic refutare aut saltem ei contradicere ausus fuerit, haud dubie ideo, quod rationes ab ipso allatæ, etsi brevissimæ, etsi nil aliud proponentes, quam quod jam ante ipsum Justinianus Clemens fecerat, vel ideo, quia sunt palpabiles à quovis, sint simul irrefutabiles, (Cum alias notum sit, non tacuisse eruditos varii generis, intuitu aliarum doctrinarum Titii à communi scholasticorum & orthodoxa Jurisprudencia recedentium) nisi quod Dn. Præses jam Anno 1709, in corollario 3. disputationis de Existimatione Fama & infamia extra rempublicam adjecto, sequentia ad hanc Titii sententiam annotaverit: *Contra militat praxis communis variarum rerum publicarum, & ratio, quod in pœnis insligendis tentanda suppressio omnium trium affectuum dominantium, quatenus ad mala incitant, voluptatis per dolores, avaritiæ per ademptionem bonorum & occasiones acquirendi, ambitionis per infamiam. Adde locum Diodori Siculi de pœna infamiae ab Aegyptiis dictata desertoribus ordinum. Sed forte pugna conciliari potest per distinctionem. Sane pœna fustigationis, quatenus apud nos in usu & cum infamia conjuncta est, non videtur admodum rationalis. Cum igitur hic ipse Dn. Præses agnoverit, sententiam Titii non plane esse rejiciendam, sed cum praxi contraria operatione distinctionis conciliandam, in ulteriori declaratione hujus doctrinæ ita megeram, ut propositis sincere & bona fide rationibus pro praxi communi & objectionibus contra sententiam Titii, ac subjunctis responsonibus & exceptionibus pro sententia Titii, denique adjiciam media conciliandi duas istas sententias, aut potius utramque limitandi, sic tamen, ut simul ostendam sen-*

sententiam Titii multo magis rectæ rationi convenire quam Praxin communem contrariam, & ut pariter monstrem viam inquirendi in primam originem pœnarum viventes infamantium, & a Titio pro absurdo pœnæ genere habitatum.

§. III.

Quod igitur attinet rationes pro praxi communi pœnarum vivos infamantium, ante omnia demonstranda paucis erit ipsa praxis communis. Cum vero brevitati studeamus, sufficiet, si quædam præcipua afferamus de legibus vel moribus Judæorum, Ægyptiorum, Græcorum, Romanorum, Germanorum. Quod Judæos attinet, populum à Deo electum & peculiari cura a divino numine per leges Mosaicas gubernatum, de iis sic scribit Spencerus *de Leg. Hebr. ritual. lib. 1. c. 4. p. 57.* Judæos, ob anni præcipue Sabbatici contemtum (i. e. ob violationem Sabbatorum annuorum) per septies septem annorum spatium terra patria carere coactos fuisse, ut in ipsa pœna sua, annorum septuaginta captivitate, tanquam Speculo quodam culpam suam, (grandis illius sabbathi, anno septimo quovis observandi, contemtum) contemplari possent. Eumque in finem Spencerus ipsam legem Mosaicam allegat *Levit. c. 26. vers. 33. 34. 35. & 43.* Deinde qui de moribus Judæorum & de Republica Judaica scripserunt, communiter notare solent, pœnas legum transgressoribus infligendas, præter supplicia capitalia fuisse multas, flagellationes ac vapulationes, ac pœnam talionis. Leydeck *de Rep. Hebr. lib. 7. c. 12. p. 482.* Vides adeo, apud Judæos in usu fuisse pœnas a fustigationibus nostris & relegationibus in perpetuum haud differentes. Et Paulus de seipso testatur, se a Judæis cæsum esse quinquies & accepisse verbera quinquaginta uno minus. *2. Corinth. XI. v. 25.* Præterea Seldenus notavit *de J. N. & G. sec. disc. Hebr. l. 4. c. 5. p. 511. Conf. lib. 6. c. 6. 9. & 11.* Apud Hebræos quatuor fuisse genera infamium, qui a testimoniis & judiciis arcebantur: aleatores, sceneratores, quæstum facientes ex anni septimi, seu anni remissionis frugibus, & denique, qui columbas volare doceant. Addit etiam Seldenus dictis locis rationem, quod horum

Praxis legum
vivos infamantium
apud Judæos.

rum nemo incumbat rebus ad bonum publicum seu vitæ humanæ commodum spectantibus, & quod aleatores ac illi qui columbas volare docerent, simul furti reos se faciant.

§. IV.

Apud Ægyptios.

Pergamus ad Ægyptios, non antiquos illos, Mosis tempore regnantes, sed temporum subsequen-
tium, de quibus Diodorus Siculus *lib. 1. Biblioth. Histor. parte 2. cap. 3. p. m. 36.* refert, quod eos, qui in bellis aut ordinem reliquissent aut non paruis ducibus, non supplicio capitali puniverint, sed maxima omnium ignominia, qua postmodum per vitam virtuosam & benefacta deleta ad priorem statum redierint. Addit etiam Diodorus rationes, quibus legem illam Ægyptiorum commendat; nempe cives per eam fuisse admonitos, ut partim infamiam tanquam gravissimum malum & morte ipsa gravius metuerent, partim vero ut simul considerarent, in eo infamiam a morte differre, quod mortui vitæ mortalium non amplius prodesse queant, ignominia vero affecti plurima bona in usum reip. ex desiderio honoris recuperandi producturi sint. Sed gaudebant Ægyptii præterea etiam legibus pœnam infamiae inferentibus, ubi nulla spes erat honoris recuperandi, sed infamia durabat usque ad mortem. Memorat enim idem Diodorus, legem Ægyptiorum iussisse linguam abscindi illis, qui secreta hostibus revelassent, ambas manus amputari his, qui monetam circumciderent, vel adulterinam cuderent, aut pondus vel signa immutarent &c virilia exsecari eis, qui mulierem liberam violassent, mulieres vero sine vi adulteria committentibus, naso mutilari &c.

§. V.

Apud Græcos.

Pergo ad Græcos. Horum legislatores uti fuere varii, Draco, Charondas, Zaleucus, Solon, Lycurgus &c. ita de Solone narrat idem Diodorus *loco citato*, eum nonnullas leges, quas Atheniensibus dedit, ab Ægyptiis petiisse, etsi id non memo-

memoret de legibus istis infamantibus. Sed Charondas inter alias leges contra calumniatores dolosos legem tulit, ut per urbem coronati circumveherentur, quo cunctis civibus sic ostentati innotescerent pervulgato supplicii probro, & a populo exagitarentur veluti perniciosissimo flagitii genere contaminati. Quæ lex (eodem Diodoro iudice) maximam utilitatem rei publicæ attulit, cum nonnulli ira publice profuturi & infamati manus sibimetipsis sponte intulerint, vitamque rumpere maluerint, quam in tanta probri ignominia ulterius conspici. Imo hujus legis severitas id effecit, ut tandem calumniatores omnes, perniciosissimum genus hominum, cum urbe fugati excessissent, deinde respublica tali peste vitioque purgata felici ac æquabili administratione coaluerit, uti refert idem Diodorus Siculus *lib. 12. bibl. Hist. p. m. 278.*

§. VI.

Ipsi Philosophi Græci doctrinam Politicam proponentes pœnas infamantes non habuerant pro absurdo pœnæ genere, sed potius eas quandoque adhibendas præceperunt. Equidem quod Platonem attinet, nihil de pœnis infamantibus in indice operum invenio, nec jam tempus mihi superest extra indicem ejus doctrinam de quæstione præsentis inquirendi. Sed tamen summus Aristoteles non solum ad ulteros & inprimis qui intra tempus filios procreandi tale quid admiserint, pro magnitudine delicti publice infamia notandos esse docuit. *lib. 7. Polit. cap. 16. in fine p. m. 894. edit. Heinsii.* Sed & in capite statim sequente 17. p. m. 901. seq. eum, qui quicquam lege vetitum vel dicere vel facere ausus fuerit, si sit ingenuus, neque tamen ob ætatem adhuc locum in sodalitatibus, quæ cibum una capiunt, obtineat, infamia vult notari, aut verberibus delictum luere, si vero ætatem excesserit, infamantibus verberibus fervorum more castigandum esse docet, tanquam qui scœdum & servile delictum commiserit.

§. VII.

§. VII.

Apud Romanos, ante Imperatores.

A Judæis, Ægyptiis, Græcis transeo ad Romanos, de quorum prudentia sine ulla justa causa videtur hic dubitasse Titius, cum potius, secundum effata virorum, de re literaria immortaliter meritorum, quoties Romani nominantur, semper alta voce addendum sit: *cordatissimi illi & prudentissimi mortaliū!* Neque enim credendum est, pœnam infamiz apud Romanos demum ortum debere juri Justiniano aut post firmatam a Julio Cæsare & Augusto Monarchiam. Sapientissimus Romanorum (dico Romanorum, ne irascantur Domini Aristotelici aut Platonici) Cicero scripsit, jam suo tempore in legibus esse octo pœnarum genera, damnum, vincula, verbera, talionem, *ignominiam*, exilium, mortem, servitutem. Et quamvis locum Ciceronis allegare nequeam, sufficit tamen, quod ad eum diferte provocaverit S. Augustinus Pater Ecclesiæ si non præcipuus, tamen unus ex præcipuis, & quidem in aureo opere *de civitate Dei lib. 21. cap. 11. ab init. p. m. 975.* Verosimiliter autem defumfit ista Augustinus vel ex plane deperditis libris Ciceronis, de Republica, vel ex libris de legibus, quorum saltem pauca fragmenta habemus.

§. IIX.

Eriam intuitu Carnificis, & similibus.

Et quis dubitaret, Romanis placuisse pœnam infamiz ante Cæsares, cum tamen & non delinquentes, sed qui solum sordidum vitæ genus elegerint, inter infames retulerint, etsi illo vitæ genere valde opus habuerit Respublica. Ita ex Ciceronis *Oratione pro Rabirio* constat, carnifices jam illo tempore fuisse pro infamibus habitos. Eo pertinet, quod Cicero *ibid. c. 4.* comparationem inter se, & Labienum adversarium instituat, uter magis popularis sit? An Labienus, qui putet in concione ipsa *carnificem* & vincula adhiberi oportere? An Cicero: qui veteri *funestari* concionem, *contagione Carnificis?* Paulo post *c. f.* addit idem Cicero, *Moreretur prius acerbissima morte millies Grachus, quam in ejus concione carnifex consisteret, quem*

quem non modo foro, sed celo hoc ac spiritu censoria leges, atque urbis domicilio carere voluerunt. Scilicet, ut Lipsius ad *Annal. Taciti lib. 2. c. 32. (in Excurs. lit. H. p. 1169)* notat, carnifex domicilium habuit extra urbem, quod & testimonio Plauti confirmat, & insuper addit, Coriarios & Vespillones, urbe submotos esse, a pari causa, quia morticina tractent. Eumque in finem adducit locum Artemidori: *Coriarium exercere malum omnibus. Corpora enim mortua adirectat cerdo, ideoque ab urbe secluditur.*

§. IX.

De his, qui artes ludicras exercebant ad alium locum Item Acto- rum fabularum. Ciceronis (qui pariter videtur ex libris de republica petitus esse) provocat idem Augustinus de *civ. Dei lib. 2. cap. 13. Cum* rum. *artem ludicram scenamque totam probro ducerent, genus id hominum, non modo honore civium reliquorum carere, sed etiam tribu moveri notatione censoria voluerunt.* Tantum vero abest, ut hic Augustinus Romanos imprudentiæ accuset aut pro absurdo pœnarum genere id cum Titio habeat, ut potius præclaram hanc vocet & Romanis laudibus annumerandam prudentiam, & prædicet hac parte Romanos, quod Græcis sint præferendi, quod sue dignitatis memores atque pudoris adlores talium fabularum nequam honoraverint more Græcorum. Ut ideo non sit opus, ut, dum jam praxin pœnarum infamantium solum recensco, in recensendis harum augmentis aut continuatione apud Romanos sub imperatoribus me detineam, cum & Titius de hac praxi non dubitet, sed eam præsupponat, & de ea repleti sint tituli pandectarum de his, qui notantur infamia, de extraordinariis cognitionibus & alii plures, atque commentarii, synopsis, compendia &c. Doctorum infinita in eosdem titulos, potissimum in eum, quem primo loco memoravi, in omnium manibus versentur.

§. X.

Restant ergo solum Germani. Atque hic iterum nolo de Denique apud Germanos. pœnis hodie vivos infamantibus prolixè disserere, ne mihi ob- B jicia.

jiciatur a Titianis, praxin hanc Germanorum ortum debere receptioni pene universali Juris Romani: Sed & hic factem quendam ex præcipuis locis adducam, testantibus de praxi Juris Germanici antequam cum Academiis Jus Romanum in Germaniam introduceretur, aut antequam ista introductio ubique vires caperet. Ita *lib. 1. des Sächsischen Landrechts artie. 37.* Kämpfer und Ihre Kinder, Spieckleute, und alle die unehlich geböhren sind, und die Dieberey und Raub sünen, oder auch wiedergeben, und das vor Gericht überwunden werden, oder die Ihren Leib oder Haut und Haar ledigen mit Gelde, die sind alle Rechtloß. *Quod speculum svecicum atinet; huc pertinent aus dem Landrecht cap. 125. art. 2.* Rechtlose Leute sollen keinen Vormund haben, und soll Ihnen auch der Richter keinen geben. Welche Rechtlose Leute sind, daß ist hiervor gesprochen *& art. 3.* Den ächtern und den bännigen Leuten, off Sie einen klagent, soll man nicht antworten: und klaget aber jemand uff Sie, dem müssen Sie antworten. Das ist davon, daß Sie gekcht sind von dem Rechte der Christenheit vor Geistlichen und Weltlichen Gerichte. *Item cap. 166. art. 3.* Es ist manning Mann Rechtloß, und mag doch ein Ehelich Weib nehmen, und Ehekind bey Ihre gewinnen: Sie mögen Ihren Vater recht erben *ic. Sequitur specificatio der Rechtlosen cap. 410. von Rechtlosen Leuten art. 1. & 2.* der eines Mannes Eheweib zu einer Huhren macht, oder eine Magd oder ein Weib nothzöget, nimmt er Sie darnach zu der Ehe, daß sind Kämpffe, und Ihr Ehekind. Und alle die unehelich geböhren sind, oder die Diebheyt oder den Straffenraub vergolten haben, und das mit Gericht bezwungen sind, oder Haut und Haar erledigt haben vor gericht, die sind alle Rechtloß. *Memorat equidem collector speculi in supra adducto cap. 127. art. 2. quod in antecedentibus demonstraverit, quinam sint infames seu Rechtlose Leute. Sed credo errorem esse, & descriptionem hanc demum ex modo adducto capitulo 410. esse petendam; nisi forte huc trahere velis cap. 76. von Verwerffung der Zeugen, inter quos etiam recensentur ex delinquentibus: Die*
da

da verbannen sind; die in der Welt sind, und Kezer, und meiney-
dige Leute sind, ob sie des vor Gericht überzeuget werden, die mö-
gen alle keine Gezeugen nicht seyn vor dem Richter. Interim
lector non putabit plura de infamibus extare in speculo Svevi-
co, quam in speculo Saxonico, sed contra sibi persuadere ple-
raque contenta speculi Svevici petita esse ex speculo Saxonico,
nisi ubi aperta est differentia. Sed malui verba speculi Svevi-
ci adducere, cum id sit rarius. Loca autem huic parallela spe-
culi Saxonici facile reperiri poterunt in hujus indice, voce
Nichtlosen. Porro in Reformatione Norica, quæ Anno 1522.
prodiit, ista infamium vel Nichtloser Leute exempla dantur:
So einer ein Râgen Ritter wäre, oder desgleichen sich unterstan-
den hätte mit wilden Thieren zu beißen und zu fechten, quamvis
illa paulo post sic mutata fuerint in altera editione Anno 1522.
Die ein leichtfertig, unehelich Leben und Wandel führen, als die
Frauen Wirthe oder Wirthin, Nachrichter, Gauekler oder der-
gleichen. Quæ jam latius exposuit Dn. Præses in dissert. Anno
1703, de Noric. causis adimendi legitimam §. 20. usque ad §. 40.

§. XI.

Nec est, quod forte urgeas, Germanos inter gentes pru- Eciam intui-
tus hominum
dentes non esse numerandos, sed potius vel ex adductis lo- hominum
cis apparere, non adeo peccasse ex ipsis Germanis JCtos non nullius crimie
nis reorum,
in celebres, qui eos ex amore veritatis appellaverint: Tumme
Teutschen. Atque hanc stupiditatem apparere ex eo, quod
non solum crimina poena infamiz puniverint, sed & homines
innocentes aut certe crimine vacuos ut Râmpffer, Spielleute,
Râgen Ritter infamia notaverint. Nam ad id facile responderi
potest. Primo, non majorem causam esse, cur stupiditatis hic
accusentur Germani, quam si quis Judæos, populum Dei
electum, stupiditatis accusare velit, quod aleatores & qui co-
lumbas volare docerent (vid. supra §. 3.) ad classem infamium
retulerint, cum tamen Seldenus supra §. 3. in fine eos recte de-
fendat, quod eiusmodi homines non incumbant rebus ad
vitz

vitz humanæ commodum spectantibus, aut si Romanos, cordatissimos illos mortalium, calumniari velit, quod Carnificem & similes, item fabularum actores habuerint pro infamibus (vide dicta §. 8.) Quodsi tamen forte hac parte quid erratum fuerit a Germanis, sufficere, quod id postea per substitutionem aliorum exemplorum ex moribus Romanorum paululum immutatam fuerit, ut ex noviore Reformatione Norica §. *preced.* adducta patet.

§. XII.

Rationes, ju-
diciam hujus
praxeos do-
centes,

Sufficere hæc poterunt ad probandam praxin universalem penarum etiam vivos infamantium inter gentes, si non omnes, saltem moratiores. Simul vero hæctenus excerpta simul ostendunt perspicue, falsissimum esse, quod Titius profert, absurdum hoc esse pœnæ genus & reipublicæ noxium, cum potius infamia levior & temporaria emendet delinquentes, & eos impellat, ut considerando, infamiam esse morte graviolem, honoris recuperandi causa plurima in usum Reip. bona sint producturi; (vide dicta §. 4.) infamia vero gravior & perpetua infamatos impellat, ut vel injectis sibi ipsis manibus, vel excessu ex Republica, eam a tali peste & vitio purgatam felicem redderent. (vide dicta §. 5.) Accedit ratio evidens & in omnium sensus incurrens, qua summus Aristoteles utitur, (vid. §. 6. in fine) eos, qui fœdum & servile delictum commiserint, etiam servorum more castigandos esse. Novum argumentum idque majoris adhuc ponderis suppeditant exempla infamium, qui nullum crimen commiserunt. Si enim absque damno Reipublicæ & absque injustitia ejusmodi cives notari poterunt infamia, quid obstat, quo minus etiam infamia per modum pœnæ possit imponi delinquentibus. At de prioris asserti veritate nemo dubitare potest, cum quotidiana id confirmet experientia, per infamiam v. g. carnificum, lictorum &c. nullum unquam damnum illatum esse Reip. & præterea ab injustitia liberetur hæc infamix species

cies per dictum vulgare: honorem esse in potestate honorantis, non in potestate honorati.

§. XIII.

Sed age nunc examinemus Titii dissentientis rationes, quibus motus fuit, ut penas infamantes ut absurdas abrogandas esse statueret. Sunt equidem breves, & videntur, si supine considerentur, in sensus omnium incurrere, sed si paulo attentius attendas, si monita venerandorum Theologorum circa doctrinam de pœnis (præcipue præmissis precibus feriis) pia mente consideres, statim patebit, siue eas in se, siue earum hypothesein de fine pœnarum spectes, nullius plane momenti esse, sed ad hæreses maxime noxias, imo ad ipsum Atheismum ducere. Ait Titius: *penam infamia, quatenus vivos respicit, merito abrogari debere, cum contra legitimum pœnarum finem delinquentes non emendet, sed ad bene agendum reddat ineptos, ac ad majora facinora patranda disponat.* (Conf. supra §. 2.) Probare ante omnia debuisset Titius & non simpliciter asserere, quod infamia delinquentes non emendet, sed ad majora facinora disponat, cum plane contrarium doceant & monstrant ea, quæ §. præced. ex dictis §. 4. & 5. repetii. Probare debuisset, emendationem delinquentium esse solum finem pœnarum; præprimis cum tyrones in Metaphysicis discant: unius rei plures posse esse fines; Probare debuisset, quod infamia vivos disponat ad majora facinora patranda, aut distinguere inter causam per se & per accidens, vel potius inter causam per accidens & causam sine qua non. Imo si accuratius consideres naturam hominum, etiam probare debuisset, infamiam vivorum esse saltem causam sine qua non, delictorum sequentium imprimis, cum exempla quotidiana doceant, etiam nulla, aut minore poena, quam est infamia, notatos, æque imo magis delinquere, quam infames. Cogitare debuisset Titius, ex ejus principiis sequi assertionem, si non blasphemam, cer-

Responsio ad rationes Titii.

te atheisticam, poenas divinas infernales & æternas esse vel falsas, vel injustas, aut absurdas, quia non emendent delinquentes, & ad bene agendum reddant ineptos.

§. XIV.

Fons erroris
hujus,

Addent denique communis sententiæ contra Titium defensores: hos esse fructus juris naturæ a Grotio heretico & Arminiano introducti, ut juventus per doctrinas Grotianas ab articulis fidei, etiam quoad caput de poenis, in consiliis Theologicis, præcipue Wittebergenfibus & Dedekenni, passim occurrentibus, pedetentim seducatur ad doctrinas maxime impias & atheisticas. Ergo tandem in id potissimum incumbere debere Reges & Principes, ut doctrina juris naturæ plane prohibeatur, & juventus, etiam juri operam datura ad verum Urin & Thumim, id est ad Doctores vel rationem, ut veritati noxiam, abjicientes. vel, ex confessionibus doctrinarum suarum articulos fidei formantes, & utrobique unioni dissentientium manibus pedibusque se opposcentes, rursus reducatur, cum serio præcepto adjuncto, ut doctrinis eorum, absque ullis novationibus fidem adhibeant, & rationem sub hac fide captivent.

§. XV.

Defensio Titii.
Monita quædam genera-
lia.

Ostendent, credo, hætenus dicta, quod bona fide omnia attulerim, quæ pro sententiâ dissentientium a Titio & poenas infamantes defendentium, etiam ab eorum discipulo fidelissimo afferri poterant. Sed nunc etiam audienda est altera pars. Cum autem Titius sit mortuus, credo, dissentientes non esse ægre laturus, si etiam tentem, eadem bona fide referre, quæ & hujus discipuli pro defendendo Præceptore suo videantur afferre posse. Initio, dicent, praxin communem Gentium, etsi vera esset, nihil prodesse adversariis. Neque enim solum obitare proverbium: multitudo errantium non parit errori patrocinium, sed & adversarios Titii, si in hac praxi communi præcipue

pue se fundent, maximum præjudicium afferre orthodoxæ Evangelicæ, & approbare tacite rationes Pontificiorum præcipuas, a rationalibus Lutheranis jamdudum inter futiles re-
latas, de consensu communi Ecclesiæ ante Reformationem in do-
ctrinis, a quibus recesserint addicti confessioni Augustinæ,
Deinde negabunt praxin communem, & contra probationes,
pro ejus demonstratione adductas plurima excipient, quorum
saltem præcipua hic adducam.

§. XVI.

Quod initio Judæos attinet dicent, falsissimum esse, quod apud eos, quamdiu manserint populus Dei electus & le-
ges ac instituta Mosaica secuti fuerint, poenæ quæ vivos infamarent, fuerint in usu, adeoque potius inde sententiæ Titii
accedere novum argumentum, quod Deus in institutione
Reipublicæ Mosaicæ nusquam legatur publicasse poenas ejus-
modi infamantes. Neque obstarè quatuor illa genera supra
§. 7. ex Leideckero adducta. Uti enim nullum est dubium,
quod multa & poena talionis non infamant, ita flagellatio-
nes & vapulationes Judaicæ non sunt confundendæ cum fustiga-
tionibus nostris infamantibus; Equidem flagellationes sunt
præceptæ in lege Mosaica, *Deut. 25. vers. 2. 3.* sed hæ non infamabant. Postea sub templo secundo successerunt aliæ vapu-
lationes, sed nec hæ infamabant flagellatos, cum his flagella-
tionibus subiecti etiam essent Pontifices maximi, & personæ,
quæ magistratum gererent, flagella inferrent. Ut taceam, nec
hictores apud Judæos fuisse personas viles & infames, imo ne
quidem relegationes aut deportationes, seu exilia extra ter-
ram sanctam in lege Mosaica præcipiuntur, sed solum daban-
tur civitates refugii illis, qui fortuito & incauti quendam oc-
cidissent. *Leydekker de Rep. Hebr. lib. 7. cap. 12. §. 3. & 7. &*
ibi in notis. f. 482. seq. & in notis ad lib. 11. cap. 8. §. 6. fol. 654. Cleric.
in not. ad Deuter. 25. vers. 2 & 3. Seldenus de Synedr. Hebr. lib. 2.
cap. 17. §. 6. p. 894. seq. item §. 10. p. 916. Et maxime ad sco-
pum præsentem pertinent verba initialia §. 9. p. 911. Verbe-

rum illa seu flagellationis poena apud Orientales frequentissima. Neque pro ea, quæ existimationem minueret, ut ex ante in Ebræorum moribus ostensis liquet, sumi solebat. Quæ de re occidentales seculorum recentiorum aliter multo statuunt, etiam mortem huic, ignominia causa, plerumque preferendo, libentiusque se laturos profutendo. Quod autem a dissentientibus pro probando usu exilii aut relegationis apud Judæos ex Spencero fuit adductum, revera huc non pertinet, cum & verba ipsa Spenceri, & locus ex *Levit. c. 26.* allegatus satis doceant, Spencerum ibi non loqui de poena ordinaria singulorum delinquentium, sed de poena, quam Deus toti populo Israelitico minatur, si legem ab ipso latam violarent. Unde cadunt etiam simul ista quatuor genera infamium apud Hebræos ex Seldeno, utpote quæ haud dubie Rabbini & Synagogæ originem debent per mores Gentium aliarum jam corruptæ, uti de relegationis & deportationis origine id jam notavit Leydecker *d. p. 654.* ut taceam, ista quatuor genera hominum nec apud Judæos pro plane infamibus fuisse habitos, sed ipso fatente Seldeno saltem a testimoniis & judiciis fuisse remotos, adeoque saltem non fuerint bonæ vel optimæ famæ, ut testimonio eorum in judiciis fides adhiberetur. Denique si quis consideret ea, quæ Seldenus de origine & progressu excommunicationis Judaicæ latius proposuit *de synedr. Ebr. lib. 1. cap. 7. seq.* & quæ quodammodo in ordinem & summam redegit Dn. Præses *in notis ad Huberum de jure civit. p. 217. seq.* non difficulter sibi persuadebit, si non originem, saltem fulcra præcipua poenas proprie infamantes apud Judæos accepisse a Sacerdotibus Judæorum post captivitatem Babylonicam per excommunicationes infamantes.

§. XVII.

Responsiones
ad exempla
Ægyptiorum.

Remotis hoc pacto exemplis poenarum infamantium a populo Judaico petitis, nunc facilius erit discipulis Titii respondere ad exempla aliorum populorum. Nam quod attinet Ægyptios, initio exempla poenarum tamdiu saltem infamantium, donec ignominia affecti per vitam virtuosam ac nova bo-

na

na in usum Reipublicæ producta pristinos honores recuperaverint, non pertinent ad rem præsentem, cum Titius loquatur non de simplici degradatione eaque temporali, sed de infamia proprie dicta eaque perpetua. Deinde quod exempla pœnarum apud Ægyptios perpetuo infamantium attingit, verum quidem est, quod linguæ, nasi, virilium abscissio, manuum amputatio supra §. 4. ex Diodoro Siculo ut pœnæ variorum delictorum memoratæ, ad hanc classem videantur omnino referri debere, sed propterea non magis inservire possunt ad probandam justitiam vel prudentiam ejusmodi pœnarum, quam si quis idololatriam defendere vellet, eo argumento, quod non solum ipsi Ægyptii tranquillam suam ac pacificam & fortunatissimam vitam indefesso idolorum cultui & frequentibus sacrificiis idololatricis adscripserint, sed & quod Judæi & reliqui populi Ægyptiacam idololatriam fuerint imitati, (Vide Witii *Ægyptiaca lib. 1. cap. 10. §. 9. p. 53. lib. 2. cap. 2. p. 60. seq. item cap. 16. §. 20. p. 192*) cum stulta Ægyptiacæ sapientiæ fama & regni florentissimi gloria, multos ipsis assecras pepererit: Unde sententiæ Titianæ non obstat, sed potius prodest locus alius Diodori Siculi *lib. 1. cap. 59.* ubi testatur, multos priscos Ægyptiorum mores non tantum ab indigenis probatos fuisse, sed in magnam quoque apud Græcos venisse admirationem, ob quam inter doctos celebratissimi quique peregrinationibus in Ægyptum operam dederint, ut *legum illic & studiorum*, tanquam rerum magni momenti cognitionem assequerentur.

§. XIIX.

His vero præsuppositis, facile patet, discipulos Titii Græcorum; parum curaturos esse exempla Græcorum, pœnas infamantes delinquentibus dictantium, sive eas ab Ægyptiis petierint, sive ipsi ex instinctu proprio dictaverint. Quodsi enim priorem sententiam amplectaris, nihil aliud urgebunt, quam quæ modo in paragrafo præcedente fuere adducta. Si posterio-rem, tantum abest, ut ea exempla sint negaturi, ut potius credam, eosdem te adjuturos esse exemplis aliis supra §. 5.

C

omis-

omissis, v. g. Solonis, inter alias leges & illam proponentis: Si quis parentibus alimenta non præbuerit, infamis esto, quique patrimonium suum abligurierit, eodem modo, nam qui suam familiam male administraverit, eum legislator eodem modo rempublicam curaturum esse existimavit; neque decere, ut orator suggestum ascenderet, qui habendæ orationis prius quam ducendæ vitæ rationem instituisset. Unde & scortatorem Solon, tanquam infamem a suggestu exclusit. Quin & iudicibus permisit, ut pro diversitate circumstantiarum, eum qui privato iudicio furti convictus esset, præter pœnam dupli etiam per dies quinque & totidem noctes vincitum publice, ut ab omnibus videretur, prostituerent. Vide Meursium in Solone c. 17. p. 61. cap. 20. p. 70. 71. & 74. Adde Eundem Themid. Att. lib. 1. c. 3. p. 3. & lib. 2. c. 10. p. 84. Idem lib. 1. c. 9. p. 23. 25. docet, ab Atheniensibus etiam infamia mulctatos esse, qui arma sua hosti darent, item eos, qui se equitibus miscuissent, antequam probati essent: porro cap. 10. p. 26. notat, ægrotos & infames ad militiam non fuisse admittas, & lib. 2. cap. 14. p. 97. eam, quæ tertium nupsit, pro infami habendam. His vero concessis, addent defensores Titii, neque Græcorum legislatorum prudentiam, neque philosophorum sapientiam tantam esse, quantam eam æstimaverint antiquitus Romani, & hodie horum simix, multi ex eruditis totius Europæ. Draconis leges ob asperitatem & pœnarum magnitudinem ab ipso Solone esse abrogatas; sed neque Solonis, neque Lycurgi, neque Charondæ &c. exempla a genuinis, etsi paucioribus forte, Politicis hodie agnosci amplius, ut prudentum legislatorum imagines sub iis repræsentent, sed multa summo jure desiderari in eorum legibus: Platoniam vero & Aristotelicam sapientiam hodie a multis agnosci, fuisse corruptam falsis aut phantasticis doctrinis, imo & Rempublicam Platoniam & phantasticam hodie tantum non ab omnibus inter synonyma referri, ut taceam de pœnis infamantibus nihil fuisse adductum ex libris Platonis. Imo, addent, ea quæ hætenus de Græcorum pœnis infamantibus fuere allegata

gata

gata nequaquam probare pœnas viventium vere & perpetuo infamantes. Nam exclusionem a dignitate magistratus, a suggestu, a militia, expositionem publicam ignominia plebis (quæ modo ex Meursio fuerunt prolata) non esse pœnas vere infamantes, ut illas, quas respicit Titius. Quod autem Charondæ pœnam calumniatorum supra §. 5. recensitam attinet, vel eam asserent Titiani pertinere ad leges absurdas, si verum sit, quod addit Diodorus Siculus, quod ita publice prostituti & infamati manus sibimetipsis sponte intulerint, vitamque rumpere maluerint, quam in tanta probri ignominia ulterius conspici: Sed verosimilius esse, hoc iudicium de ista pœna a Diodoro ex ingenio proprio esse adjectum; aut, cum de *nonnullis* saltem loquatur, de paucissimis saltem id intelligendum, qui ad istam desperationem magis ex viciosissima & stultissima ambitione, quam ex natura ipsius pœnæ commoti fuerint, plebsque autem contentos fuisse, ut urbe excederent & in alias Græciæ urbes se conferrent, ubi ista ignominia legis Charondæ nullum producebat effectum. Quamvis nec hoc pacto ratiocinatio Diodori sit sufficiens, ad defendendam hanc pœnam, quasi lex ista Charondæ maximam utilitatem Reipublicæ attulerit, cum hoc pacto a calumniatoribus fuerit purgata, siquidem ista purgatio cum damno Rerumpublicarum vicinarum fuerit conjuncta. Denique si loca Aristotelis supra §. 6. excerpta paulo accuratius considerentur, nec ipsa loqui de infamia proprie dicta, sed saltem de ignominia vulgari & non durabili; Neque enim servi apud Græcos aut Romanos erant proprie infames, neque verbera (etiam servilia) infamabant proprie, ut jam §. 16. simili exemplo verberum apud Judæos usitatorum probavimus.

§. XIX.

Etsi itaque ab Ægyptiis Græci, a Græcis Romani suas Romanorum, leges petierint aut illorum principia politica in legibus condendis fuerint secuti, tamen remota nunc prudentia legislatoria Ægyptiorum & Græcorum, sua sponte etiam cadere ar-

gumenta a Romanis petita, urgebunt Titiani, si præter auctoritatem hujus populi non addantur aliæ rationes. Neque infringere hanc responſionem, quod viri de re litteraria immortaliter meriti Romanos plerumque vocent cordatiffimos & prudentiffimos mortalium, poſſe enim viros de re litteraria immortaliter meritos, ſi per rem litterariam intelligas Grammaticam aut idolum latinitatis Ciceronianæ, eſſe veræ ſapientiz & prudentiz Politicæ hoſtes irreconciliabiles, adeoque poſſe eos ſimul eſſe ſtultiſſimos viventium. Pergent, falſum eſſe, quod Cicero, excellens quidem Oator, fuerit ſapentiſſimus Romanorum, ſed potius ex ejus ſcriptis, ex ejus factis multa allegari poſſe argumenta, ejus imprudentiam, adulationem, meticuloſitatem, ſtultam ambitionem probantia & alia vitia: Porro in libris de legibus & de Republica Ciceronem æque deſcripiſſe Rempublicam phantasticam, ac Plato ante eam fecerat. Neque Auguſtinum, dum iſtum locum ex Cicerone, in quo inter octo poenarum genera etiam ignominia & exilium memorantur, adducit, eum approbare, ſed falſam: exinde argumentum petere ad defendendam juſticiam poenarum æternarum, (utrum prudenter an minus, huc non pertinere.) Imo Ciceronem, ubi ideis ſuæ Reipublicæ imaginariæ non fuit repletus, plane contraria Titianis argumenta ſuppeditare. In ipſa ejus Oratione pro Rabirio, *ſuprà* §. 2. adducta & immediate ante verba quæ de Carnifice loquuntur, diſertis verbis lenitatem poenarum eum commendare *in fine cap. 3.* *Iſta laus*, inquit, *primum eſt majorum noſtrorum, qui expulſis Regibus nullum in libero populo veſtigium crudelitatis regie retinuerunt, deinde multorum virorum fortium, qui veſtram libertatem non acerbitate ſuppliciorum infeſtam, ſed lenitate legum munitam eſſe voluerunt.* Quin & in ipſa deſcribenda ſua Republica ideali nullam poenam infamiz multo minus capitalem admiſiſſe, & in lenioribus etiam poenis (ſcilicet multa, vinculis, verberibus) conſeſſiſſe provocationem ad populum *lib. 3. de Legibus cap. 3.* In ſpecie vero lege Porcia, cujus in eadem oratione pro Rabirio mentionem facit Cicero, ſublataz erant poenæ capitales per
ver-

verbera & virgas, & permittebatur damnatis exilium, loco poenæ capitalis, ut ex Suetonio & Sallustio probat Adrianus Turnebus in not. ad Orat. Cicer. pro Rabirio p. m. 327. 329. Per exilium autem hic non intelligo exilium proprie dictum & infamans, sed sine læsione famæ. Jussit enim lex Portia a M. Porcio Catone lata, ne quis magistratus civem Romanum virgis caderet necaretur, cum antea nudatorum cervix infereretur furcæ, corpus virgis ad necem caderetur. Itaque poena damnatorum postea fuit vel bonorum multatio, vel omnium publicatio vel aqua & igni interdictio: nulla enim lex civem exilio multabat, sed interdictio usû earum rerum, quibus vita constabat, ut ipsa exilii necessitas imposta damnatis intelligebatur. Ita differit Franc. Hotomannus in notis ad orat. Cicer. pro Rabirio p. m. 341.

§. XX.

Hæc probe notatis, continuabunt discipuli Titii, nihil in specie de minus probari, ex locis §. 8. adductis, quam quod Ciceronis infamia Carnifices fuerint pro infamibus habiti, sed solum infamia Carnificis & sic milium, doceri, quod Carnifices extra urbem domicilium habere debeant, nequaquam, quasi infames essent, sed ob solam libertatem populi Romani. Idem Lipsius ad d. lib. 2. Annal. Tacit. cap. 32. p. m. 196. potius indicat, Carnificem ideo extra portam Exquilinam habitasse, quia supplicia pleræque apud Romanos extra portas fieri solita, ne scilicet frequenti sanguine & cæde contaminari oculi civium, aut delibari videretur libertas. Magis ad rem pertinent, quæ paragrapho præcedente notata sunt de sublata (incurru videlicet civium) per legem Portiam poena capitali. Unde Turnebus ad d. orat. pro Rabirio p. m. 330. notat, Romanos in capitis suppliciis, quæ tum irrogabantur, peregrinis & servis, non civibus, carnifice, non licetore fuisse usos. Et ne dissentientes etiam sibi persuadeant, licetores apud Romanos fuisse pro infamibus habitos, addent Titiani alium locum Hortomanni ad d. orat. p. m. 341. simul eas, quæ modo de carnifice adducta sunt, illustrantem. Notandum

discrimen inter virgas & flagella, inter liſtorem & carniſcem. Omnes liſtiores in urbe domicilium habebant, & virgarum faſces conſulibus & Prætoribus præferebant. Carnifex extra urbem habitabat, ne civitatem infeſtaret. Idem evocabatur, ſi quis perduellionis damnatus eſſet, ſi quis vel ſervus vel ex infima plebe a Triumviris capitalibus damnatus eſſet: nolam & flagellum geſtabat, præſertim cum in damnatum animadverſurus eſſet; nolam, ut omnes ab ipſius contagione caverent, flagellum, quod damnatum cadebat. Quanquam, quæ hic ab Hottomanno de Triumviris capitalibus immiſcentur, ulteriorem declarationem mereantur: De horum origine & officio videri poſſunt Eberlinus ad Pomponium de orig. juris l. 2. §. 30. cap. 27. p. 234. ſeq. Sigonius de judiciis lib. 3. c. 16. p. m. 717. ſeq. Unde conſtabit, fuiſſe eos jam in libera Republica & Ciceronis tempore, atque cognoviſſe ut plurimum de ſervis, aliisque vilis ac ſpretæ conditionis hominibus. Porro quod Liſtiores apud Romanos non fuerint infames, adhuc clarius patebit, ſi quis evolvere velit Lexica Juridica ſub iſta voce. Addent denique Titiani, Carnifices tempore Ciceronis non fuiſſe pro infamibus habitos etiam illuſtrari poſſe ex ipſo Lipſii loco, ab adverſariis in ſine §. 8. adducto de Coriariis & Veſpilonibus. Eſſi enim & hi ab urbe fuerint ſubmoti, quod morticina tractarent, tamen palpabile eſſe vel ex hac ipſa ratione, quod nequaquam fuerint pro infamibus habiti, non magis ac Coriarii hodierni, ubi extra urbes habitant.

§. XXI.

De actoribus
fabularum.

Denique contra ea, quæ ſupra §. 9. contra Titium ex Auguſtino allata ſunt de commendata ab eo adverſus Græcos Romanorum prudentia, quod actores fabularum infames eſſe voluerint, forte hærebit aqua Titianis, non tam ob defectum rationum, quam ob metum eorum, qui hodiernum Auguſtinum, etiam inter Proteſtantes in maxima copia, tantum non adorant. (vid. Dn. Præſes Caut. circ. præcogn. Jurispr. Ecclēſ. cap. 14. §. 9. ſeq.) & quod in primis libri Auguſtini de civitate Dei fere iacris Bibliis ſoleant æquiparari. Jure itaque maximo timebunt diſci.

discipuli Titii, ne Titium suum contra Augustinum defendendo videantur crimen læsæ Majestatis Clericalis, aut accuratius, Patriarchalis committere, & Jctum, aut (magis & γυνώσκω orthodoxe loquendo) Politicum, etsi cum magna Pompa sepultum, & aliquoties, ringentibus quamvis orthodoxis, panegyricatum (sic venia verbo) Sanctissimo Patrum præferre, & ita apertissima Atheismi indicia dare. Neque disfiniteor me, dum hæc scribo eodem sancto & miraculoso horrore affici, ut non audeam defendere judicium Dn. Præfidis de Augustino & ejus civitate Dei in notis ad Orat. Acad. tertiam lit. cc. p. 495. segg. propositum, sed istud ejus periculo ipsi soli defendendum relinquam. Ergo tentabo, annon Titiani responsionibus magis orthodoxis isti objectioni respondere, & salva auctoritate Sancti Augustini Titium suum defendere possint. Forte dicent: Ciceronem ab Augustino adductum non loqui de omnibus actoribus fabularum sed de arte ludicra, adeoque de pantomomis, histrionibus, arenariis, similibus, & qui quæstus causa, aut propter præmium in scenam prodeunt. vid. Dd. & novissime Noodt ad tit. Pandect. de his qui notantur infamia p. 117. Forte dicent, nequaquam Ciceronem voluisse actores ejusmodi ludicros pro infamibus habere, sed saltem indicasse eum, quod sint homines vituperandi, neq; ad honores, quamdiu id vitæ genus continent, promovendi. Neque obstare verba ultima, quod notatione censoria tribu eos moveri debere Cicero diserte memoret: cum ipse Cicero l. 4. de Rep. teste Nonio, referat, ignominiam a Censoribus illatam non esse infamiam. Censoris, ait, judicium nihil fere damnato afferi, nisi ruborem. Itaque quod omnis ea judicatio tantum versatur in nomine, animadversio ista ignominia dicta est. Sigonius de judic. lib. 2. c. 3. p. 536. Et quamvis idem d. l. 2. c. 24. p. 596. doceat, infamium curam mandatam fuisse Censoribus, ne eos paterentur in Rep. munera illa, quibus per infamiam notam privati essent, obire; tamen ipsa res ostendit, & hic infamiam sumi improprie pro privatione honorum, non positive pro ea, quæ cum contumelia aut simili effectu est conjuncta. Sed neque his responsionibus opus erit

erit sententiæ Titianæ defensoribus, cum adsit responsio orthodoxissima, in qua hodie conveniunt Theologi celeberrimi omnium trium religionum in imperio toleratarum, & ex Protestantibus etiam illi, qui alias unionis Protestantium jure optimo maximo sunt hostes orthodoxissimi, in hac doctrina sunt unanimes, quod actores fabularum non sint infames sed potius personæ honoratæ, & quod adeo vel hoc exemplo solidissime refutetur Dn. Præsidis assertio paulo ante memorata, quod totus pene mundus Augustinianus factus sit. Imo etiam jam tempore Cypriani ad Cœnam S. non fuerint admissi Cœmœdi (Dn. Præsides in nov. edit. Cantel. Eccles. p. 102. in excerptis ex Clerico) hodie tamen Theologi famigeratissimi, etiam si per lineam rectam a Cypriano descenderent, Patrem hunc Ecclesiæ, & sui forte Tritavi Tritavum tertium, hic dereliquerent, ejusque alias quidem orthodoxotati hunc Zelum pro heterodoxo haberent, ac in odium hujus heterodoxiæ ludos Comicos honoratissima sua præsentia condecorarent, & in concionibus etiam sententiam dissentientium, ut Enthusiasticam, refutarent. Conf. Dn. Præs. Dissert. de Noric. causæ hered. §. 33. 34.

§. XXII.

Responsiones
ad exempla
Germanorum.

Pergo ad ea, quæ de Germanorum moribus circa infames ex jure veteri ante receptum jus Justinianicum tam ex speculo Saxonico, quam Suevico supra §. X. allata sunt. Hic facile prævideo Titianos excepturos esse, quod 1. non sequatur, Germanos habuisse pœnas infamantes ante receptum jus Justinianicum, ergo mores istos non petitos esse a moribus aliorum populorum, & ab ipsis Romanis: cur enim non potuerint inde desumpti esse, postquam vel a Caroli M. vel ab Ottonum temporibus Reges vel Principes Germanorum cum titulo Imperatorio & Advocatorum Ecclesiæ valde venerari inceperunt leges & mores Juris Romani, si non Justiniani, saltem Canonici. 2. Dubium esse, apud Germanos an homines jure carentes, Nichtlose Leuthe & infames Ehrlose sint synonyma. Et si enim Glossa Germanica hos terminos synonymice usurpet, &

versio

versio latina Speculi Saxonici homines jure carentes infames vocet, tamen facile probari poterit, nec autorem Glossæ Germanicæ, nec autorem versionis latinæ fuisse probe gnaros morum Germanorum. 3. Differentiam esse inter Ehrlosß & Unehrlisch: Per priorem terminum intelligi homines honore carentes, vel honore & bona fama deminutos, per hos, homines omni bona fama carentes & ubique inter honestos non toleratos. Germanorum Rechtslosß pertinere ad classem priorem non ad posteriorem, de qua loquatur Titius. Effectus enim peculiare hujus carentiæ in eo consistere, quod non possint procuratore coram judicio aut in duellis judicialibus uti, quod ipsorum testimonio non adhibeatur fides & similia. 4. Varias etiam esse classes hominum horum jure carentium a Glossa recensitas &c. Interim vide Sächsisch Land-Recht cum excerptis præcipuis Glossæ editum a Dn. Ludovici 1720. lib. 1. artic. 37. p. 96. 97. artic. 51. p. 122. 123. lib. 3. artic. 6. p. 397. art. 17. p. 420. 421. art. 82. p. 537. quæ paululum illustrabant istas quatuor Classes responsionum summam hic proponitarum.

§. XXIII.

Sed præterea, etsi jam tempore istius Speculi pœnæ vere & perpetuo infamantes apud Saxones, Suevos, & alios Germanos in usu fuissent, non magis inde inferri poterit justitia earum, quam si ex Germanorum & aliorum populorum moribus velis probare justitiam duellorum judicialium. Id quidem facile concedent Titiani dissentientibus, quod Germani, secundum dicta §. II. ideo pro stupidis haberi nequeant, quod homines crimine vacuos infamia notaverint, imo ulterius addent, Germanos quoscunque, etiamsi Juri quoque celebres id fecerint, qui Germanos stupiditatis accusaverint, ipsos fuisse stupidissimos mortalium, atqui ex suo ingenio reliquos Germanos judicasse, sed tamen propterea non odio habendos, sed potius misericordia dignos esse, cum in scholis audiverint, hominem esse speciem infimam, adeoque ex hoc errore sibi persuaserint, se recte argumentari, si ex propria stupiditate

In specie de
horum stupi-
ditate.

D

alio-

aliorum Germanorum ingenia judicarent. Sed in eo iterum dissentient ab impugnantibus sententiam Titii, quod Germanorum mores de infamibus velint excusare per exempla populi Judaici & Romani, cum jam §. 16. 19. seq. satis fuerit ostensum, quid ad ista exempla sit respondendum.

§. XXIV.

Responsio ad
rationes dis-
sentientium a
Titio:

Faucis, non ex exemplis judicandum de justitia & injustitia, prudentia & imprudentia, morum vel legum, sed ex principiis Politicis & recta ratione, adeoque jam pergent discipuli Titii examinare rationes dissentientium supra §. 12. relatas, & verosimiliter contra urgebunt: 1. Titium non loqui de diminutione honoris nec de infamia temporali, sed de infamia proprie dicta & perpetua; 2. Karissima esse exempla eorum, qui graviori & perpetua infamia notantur, ut manus sibi ipsis injiciant; adeoque inde argumentum de utilitate ex hac poena in Rempublicam derivante duci non posse: Imo potius inde argumentum suppeditari Titio pro sua sententia. Vel enim ejusmodi delinquentes poenam capitalem meriti erant, vel minus. Si prius, cur non poena capitalis ipsis fuit dictata? Si posterius, cur poena afficiuntur mortis poena graviore? 3. Quodsi ejusmodi infames per illam infamiam adigantur, ut ex Republica excedant, peccari tamen hoc pacto a Republica poenam ejusmodi introducete adversus leges humanitatis intuitu aliarum Rerumpublicarum, quo se conferunt isti infames. 4. Rationem ex summo Aristotele allatam esse parum pertinentem, salva tamen semper summitate Aristotelica. Et si enim concedatur, eum, qui scdum & servile delictum commiserit etiam fervorum more castigandum esse, tamen exinde nihil posse concludi in favorem poenarum, de quarum justitia & prudentia hic disputatur, cum sane servi nunquam fuerint proprie infames, sed saltem honore & dignitate carentes. Imo metuendum, ne Titiani ipsimet ad summum Aristotelem provocent, qui alibi in iisdem libris Politicis, videlicet lib. 5. cap. 11. (in quo capite precipue de monarchiarum conse-

conservatione fuit sollicitus) p. m. 663. junctâ periphrasi Heinſii p. 674. monet, Monarcham maxime cavere debere, ne contumelia afficiat cives suos, adeoque nec verberibus uratur, nec ignominia, cum eos, qui honesti sint, aut ambitiosi, nihil tam ad vivum penetret, ac ignominia. Ideoque talibus etiam abstinendum esse suppliciiis: Quodsi quando ejusmodi pœnis fuerit opus, operam dandam esse, ut a paterno proficisci videantur animo, non autem per contemptum aut in contumeliam cujusquam irrogari; tum, si cuiquam aliqua illata fuerit contumelia (etiam per ejusmodi pœnas) ut magno & eximio honore & qui ignominiam excedat (si videlicet delinquens emendatum se pœna fuisse actionibus suis testetur) iterum infamia illa diluatur.

S. XXV.

§. Quoad assertionem, quod experientia testetur quoti-
 diana, nullum damnum passam esse Germaniam ex infamia
 Carnificum & licitorum, ac multo minus adeo esse metuenda
 damna ex infamia delinquentium, varia regerere poterunt Ti-
 tiani: Initio forte dicent, nec etiam commodum & utilitatem
 sensisse Germaniam ex stulta hac & irrationali carnificum &
 licitorum ignominia, ac sufficere quod paulo ante fuerit osten-
 sum, apud Romanos nec Lictores nec Carnifices fuisse infames.
 Idem dicendum de aliis populis, & ipsis Germanis
 antiquitus. (vide omnino Matth. Bernegg. *quest. 38. ad German. Taciti.*)
 Imo nec reverendis Theologis nec aliis quibusdam
 eruditis placere hanc carnificum ignominiam. Non provocabo
 equidem ad exemplum, ubi in vicina Academia Theologus
 celeberrimus in concione funebri carnificem comparaverat
 cum Benaja filio Jojadae, eaque comparatio reali & maxime
 laudabili gratitudine a vidua carnificis iterum jure optimo
 maximo fuit remunerata, sed sufficientiam jam loca Gerhardsi &
 Dannhaueri hunc in finem. ^{Ziellero in der Epistolischn Schatz}
 Cammer epist. 266 f. 417. citata, qui & plura argumenta Carnifici
 infamiae adducit, Adde Besold. *thes. pract. jur. Scharff*
 D 2 Rich

In specie de
 infamia ho-
 dieana Carni-
 ficum & Li-
 citorum.

Richter. Dn. Præsid. Coroll. 12. ad Diss. de Existimatione & fama. Possent etiam Titiani ex eodem Zeidlero centur. 3. var. quæstion. quæst. 96. p. 470. allegare, Carnificem non ob executionem poenarum in maleficis, sed ob excoriationem cadaverum, infamia esse notatum, imo nec hoc intuitu excoriatores (die Schinder) proprie infames esse, sed turpes saltem, vel uti Zeidlerus loquitur: Ein Schinder sey keine verleumde oder uneheliche, sondern nur eine schändliche Person. Imo, quid si Titiani negarent hanc experientiam, ad quam dissentientes provocant, & contra assererent, non parva damna in rempublicam redundare, quod lictores habeantur pro infamibus, potissimum in urbibus, ubi florent Academia, Gymnasia & Scholæ adulatorum, atque hujus assertionis gratia etiam provocarent ad contrariam experientiam. Porro uti in corpore humano non omnia, quæ sanitati noxia sunt, mox effectus noxios producunt, sed sæpe hilaritatem, vigorem, & incrementa sanitatis ad breve tempus operantur; ita etiam imprudentia consilia & mores aut leges damna Reipublicæ non statim concomitantia habent, & si sequantur, solent illa a plebe, etiam erudita, & mortalium cordatissima, plane aliis causis quam genuino fonti adscribi. 6. Quod ultimo loco concernit dictum ab Antititiani pro justificatione infamæ carnificum & lictorum adductum in fine §. 12. honorem esse in potestate honorantis; vel in eo abscondere volunt argumentum a baculo ad angulum, vel committunt ignorantiam elenchi. Prius, si ita inferre velint: Honor est in potestate honorantis, ergo etiam infamatio aliorum est in potestate infamantis: Posterius; si saltem defendere velint exclusionem carnificis & lictorum ab honoribus, cum jam toties dictum fuerit, carentiam honorum & infamiam esse plane diversa.

§. XXVI.

Defensio rationum Titii

Denique quod respondentes Antititianorum ad rationes Titii attineret, verèor, ne Titiani ægro taruri sint, quod statim ab initio sententiam Titii (*supra §. 13.*) — articulo maxime

xime noxias imo ad ipsum atheismum ducere asserant. Olim quidem i. e. cum adhuc apud protestantes JCtos inter articulos fidei numeraretur, hæresin esse crimen, & Atheos esse, quicunque doctrinis Theologorum communibus contradicerent, alicujus efficaciz erant ejusmodi hæretificationes & creationes atheorum; at hodie postquam Titius noster si non primus, saltem inter primos sensibiliter ostendit, non hæresin sed hæretificium crimen esse, larva ista ovina falsæ pietatis, & affectati Zeli divini non amplius decipere apta est Politicos & JCtos genuinos ac rationales. Addent Titiani (1) non opus esse, ut probetur, infamiam perpetuam delinquentibus v. g. per fustigationem & relegationem, narium abscissionem &c. illatam non emendare sed ad majora facinora disponere, cum æque in sensus incurrat ac axioma metaphysicum: totum esse majus sua parte, & cum ad contraria ex §. 4. 5. & 12. allata, jam sit responsum §. 17. 18. 24. (2) Non opus esse probatione, quod emendatio communis & in specie etiam, delinquentium, si pœna non sit capitalis, sit finis pœnarum præcipuus & primarius, postquam id jam satis probatum fuerit a Doctoribus juris naturalis pariter ac civilis, etsi facile concedi possit, in pœnis adesse posse & alios fines secundarios, cum sufficiat, justitiam & prudentiam & vice versa etiam injustitiam & imprudentiam pœnarum humanarum judicari debere ex fine primario, non secundario. Adeoque etiam (3) non opus esse, ut JCri pro defendenda assertione, quod infamia viventes disponat ad majora facinora patranda, tempus omnium rerum carissimum perdant; in examinandis grillis metaphysicis differentiis inter causam per se, per accidens, & sine qua non, sed has lætucas relinquendas esse labris hæreticis, & atheisticis, ubi hi adhuc florent. (4) Cum vero Antititiani pro probanda insuper blasphemia ex doctrina Titii profluente, etiam attulerint in fine §. 17. quasi ex hypothesis de emendatione delinquentium tanquam sine primario pœnarum, sequatur conclusio, pœnas divinas infernales & æternas esse injustas; vitio non verti poterit Titii discipulis, si dissentientes contra accu-

sent de crimine hæreticū hic iterum commissi, cum & ipse Titius & Dn. Præses in notis ad Lancellott, *lib. 3. notæ 402. sect. 2. p. 1498. seq. & lib. 4. not. 250. p. 2006. seq.* (ubi etiam simul Titii sententiam proponit) satis probaverint, blasphemificium (licet enim res plane barbaras barbaris etiam vocibus delineare) plerumque, etiam apud Protestantes esse speciem hæreticū, & ad crassas Papatus Politici reliquias referri debere, præpmissis, cum evidens sit, eos, qui finem primarium poenarum dicunt esse emendationem totius populi, & etiam suo modo delinquentium, nequaquam impugnare justitiam poenarum divinarum, sed eos communiter docere justitiam actionum, & adeo etiam poenarum divinarum non dijudicandum esse ex principiis iisdem, ex quibus deducitur justitia & injustitia actionum & poenarum humanarum.

§. XXVII.

Fans erroris
dissentien-
tium a Titio,
eorumque
odium Do-
ctorum juris
naturalis,

Quemadmodum autem ista confusio moralitatis actionum divinarum & humanarum sine dubio imputanda est communi & erroneæ hypothese doctrinæ Scholasticæ & crasse Pontificiæ, quod fundamentum juris naturæ quærendum sit non in sensibili & palpabili natura humana, sed in incomprehensibili & scientiam humanam excedente natura divina, hanc vero consistere præcipue in speculatione idearum æternarum voluntatem divinam antecedentium, & nescio quibus aliis phantasmatibus Pythagorico-Platonico-Aristotelicis; Ita eo magis cavenda confusio principiorum justitiæ divinæ & humanæ, quo magis inclinât ad gravissime noxium errorem Manichæorum de duobus principiis coæternis & origine mali, unde & Dn. Præses in *can. vel. circa præcogn. jurispr. Eccles. c. 12. in fine* notavit, præcipuum Bailii in defensione Manichæorum errorem consistere in confusione justitiæ divinæ & humanæ, Neque adeo mirandum, quod non pauci ex nostratibus, glandibus Pagano-Papisticis in Philosophia vel Theologia morali adfueti, Doctoribus juris naturæ & horum primo quasi excitatori Grotio tam aperte, ac Principes & Reges terrarum omnibus modis tam aperte, quam

quam clanculum per alios, se interim occultando &, ut loqui
amant, mere passive se gerendo, adversus doctrinas juris na-
turalis & Doctores ejus errores communes crypto Papisticos
quotidie magis magisque detegentes excitare intendant; cum
videlicet non solum hi Doctores fuerint præcipua causa; (an
vera, an per accidens, an sine qua non, summa & maxime
necessaria sapientia Metaphysico-orthodoxa determinandum
relinquo) diminuta eorum autoritatis hinc inde in terris &
Academiis Protestantium, & diminuti dominatus in conscien-
tias civium; sed etiam iidem hodie ulterius pergant vindicare
principibus jus verum & non fucatum circa sacra, & reliquias
aliorum Politico-Papisticas, & nonnunquam Papisticis magis
noxias, studiose juventuti ad unguem monstrare ac demon-
strare. His vero præsuppositis, subjungent discipuli Titii,
non opus esse, ut quicquam ulterius regeratur, adversus vota
Zelotarum irrationalia & pharisaica supra §. 14. præposita; ne-
que tamen iis irascendum, aut simili hypocrisis Principes adver-
sus eos excitandos esse, sed potius discipulos *ymoricos* Titianos
his Titii adversariis *ymoricos* hæreticibus bona omnia, imo
omnium maxima optare, interque ea potissimum inter hujus
vitæ bona, ut videlicet ipsis perpetuo sit mens sana in corpo-
re sano.

§. XXIX.

Recensui hæcenus, ut puto, sufficienter argumenta dissen-
sientium a Titio, & communes ac pro orthodoxis hæcenus
habitas doctrinas de poenis infamantibus defendentium, se-
cundum hypotheses tantum non ubique in Academiis Prote-
stantium adhuc hodie regnantes & secundum consuetum Ze-
lotarum in recedentes a veterum sententia fervoreff. Sed
recensui etiam, ut credo, bona fide responsiones Titii disci-
pulorum, i. e. eorum, quibus doctrina Titii, sæpissime ab or-
thodoxa Jurisprudencia recedentes, præ vulgari illa placet &
ringentibus quamvis Antititianiis, etiam in posterum placebit.
Adhibui utrobique expressiones & phrasas aliquando pungen-
tes;

Monita quæ
dam generalia
de utraque
classe dissen-
sientium;

tes: Has enim si in relatione sententiæ Antiticianorum omiffem, timendum erat, ne illi me accusarent, quod stilo nimis vulgari nec *γνησίως* heroico eorum doctrinas plusquam salutare proposuerim: Hoc vero præstito iniquus fuiffem in discipulos Titii, si in eorum replicis & responsionibus hebeti & obruso stilo fuiffem usus, præcipue cum ipsa doctrina Titii, quoties dissentit a communibus Jctorum, tam Civilium quam Ecclesiasticorum, & ita etiam a Theologorum communibus sententiis, ab ipso fuerit stilo cordato & satis acuto proposita. Interim cum ipse Titius inter primos hæretificum pro crimine agnoscat, nolui ex parte Titianorum retorsionibus hæreticilibus uti, sed potius, ut vel ex fine paragraphi præcedentis constet, phrasibus usus sum, amicitiam si non intimerem, saltem amorem communem & carentiam omnis odii restantium,

§. XXIX.

Transitus ad
meam senten-
tiam. Forma-
tio status con-
troverfix.

Quod autem meam de proposita quaestione sententiam nunc attinet (*conf. supra §. 2. in fine.*) ante omnia operam dabo, ut absque punctationibus & breviter eam proponam, & tamen perspicue data occasione indicem, quando & qua de causa plerumque ab Anti-Titianis, quandoque etiam a Titio dissentiam. Ut vero hoc eo melius procedat, ante omnia rite formandus eris status controversiæ, tum subjungenda terminorum expositio, quantum angustiores hujus disputationis termini permittent; & denique sententiam meam ejusque rationes exhibebo. Quod statum controversiæ attinet, duas continet problema propositum quaestiones. 1. *An Pœne viventium eos infamantes sint absurde?* 2. *An tales pœne sint abrogande.*

§. XXX.

Pœnæ quid
hic denotent,

Dico: *Pœna*: Quod si vero unquam ulla doctrina moralis occasionem rixis, litibus, hæretificationibus aut saltem dissensionibus præbuit eruditis & qui inter hos præ reliquis excellere cupiunt, certe doctrina de pœnis ad hanc classem refe-

referenda erit. Notum enim est, quantum doctrina Grotii cap. 20. § 21. libri 2. de Jure belli & pacis eam ob causam a commentatoribus fuerit oppugnata. Neque Pufendorffius, etsi lib. 8. de J. N. & G. caput hoc de pœnis emendare & magis perspicue proponere operam dederit, dissensionum illarum fontes tollere potuit. Nec ego tollam, sed per me licebit, ut quilibet hic suo sensu & judicio utatur ipse. Interim, cum nullum sit dubium, homonymiam vocis pœnæ variam & multiplicem, esse unam ex præcipuis causis dissensionum in hac materia, & vero Do. Præses partim in *Institution. Juris divini lib. 3. cap. 7.* partim in *fundament. jur. N. & G. eod. cap. & libr. operam dederit, ut monstrata ista homonymia varia doctrinam de pœnis saltem magis ordinatam proponeret, sufficere mihi nunc, si solum ex dictis capitibus & quidem ex num. 22. ad 28. 32. ad 43. item num. 55. instit. jur. divin. & ex num. 3. 4. 5. 6. Eadem. J. N. & G. supponam: per pœnam hic non intelligi pœnas divinas, ut quæ plane diversam naturam ac definitionem ac humanæ habent, & inter quas pœnæ æternæ etiam diversum plane & pœnis humanis incognitum finem, i. e. expiationem agnoscunt, sed humanas, easque non a pari sed a superiore delinquentibus invitis illatas, primario emendationem omnium civium, etiam ipsorum delinquentium, aut certe aliorum concivium, ne in posterum delinquant, secundo assecurationem innocentium, non vero reparationem & restitutionem damni dati intendentes. Adde Grot. II. 20. §. 7. 8. 9. Pufend. IIX. 3. §. 9. Huber. de jure civit. p. 502. n. 11.*

§. XXXI.

Dico: Poenæ *viventium*, ubi credo quemlibet absque difficultate agniturum, quod hac voce non tam respiciam ad poenas in genere, quæ regulariter, etiam si capitales sint, inferuntur viventibus (etsi quandoque & poenæ infamantes mortuis illatæ intendunt, & aliquando non sine fructu, emendare alios concives,) quam ad divisionem poenarum in capitales, quæ vitæ privant delinquentes, & in non capitales, quæ vivere sinunt

E

puni-

punitos, & iterum habent varia genera v. g. mulctarum, relegationum, fustigationum, & aliarum corporis afflictivarum sine tamen privatione vitæ. Hic saltem illud insuper noto, quod hæc divisio potissimum explicet verba in definitione generali posita de duplici emendatione civium tanquam sine primario poenarum. Poenæ capitales non possunt intendere emendationem delinquentium, cum emendatio præsupponat vitam emendandorum, ergo sufficit, si emendantur reliqui cives. At poenæ non capitales omnes debent intendere etiam emendationem punitorum & quidem primario, quod ita omni dubitatione caret, ut etiam pueris jam olim, (& forte adhuc in medio Papatu ante reformationem) hæc doctrina de emendatione delinquentium in actu ipso pœnali in sequentibus rhythmis fuerit inculcata:

Nominativus: Leg dich. Genitivus: Streck dich. Dativus: Ueber die Banck. Accusativus: Wachs nicht lang. Vocativus: thut mir Weh. Ablativus: Thugs nicht meh.

§. XXXII.

Infamia quid
& quinam ejus
effectus jure
Romano.

Utinam & de infamia & de poenis infamantibus etiam dicere possimus, quod res non sit dubia aut obscura. Et fateor, si obiter, & methodo communiter recepta hoc doctrinæ caput quis examinare aut proponere velit, de difficultate & obscuritate nulla vel certe exigua videatur oriri posse disputatio, cum tot commentarii virorum celeberrimorum, tam antiquorum, quam modernorum in titulos ff. de his qui notantur infamia & Cod. ex quib. caus. infamia irrogatur, plerumque conveniant quoad definitionem infamiæ, quod infamia sit ignominia seu existimationis privatio vitæ turpitudine, qua quis honestorum virorum numero eximitur, & quod occasione legis 13. Cod. de tit. infamiam dividant in infamiam juris & facti, eique addant tertiam speciem vel accuratius affine aliquod infamiæ genus levis notæ maculam ex l. 27. Cod. de inoff. testamento: item quod infamia juris sit duplex, una quæ immediate a lege infertur, uti scilicet facta infamantia sunt publica & notoria, ut
nulla

nulla probatione indigeant, aut nullo juris colore excusari possint, altera quæ demum per sententiam judicis inferatur, ubi scilicet turpitudine delinquentis non ita notoria est, sed ejus dolus potissimum probatione indiget. Occasionem præbuit huic subdivisioni recensio satis specifica eorum, qui in Edicto Prætoris infamia notati erant in *l. i. ff. h. t.* quas singulas infamatorum species etiam communiter Dd. *ad h. t. ff.* præprimis noviores, solent perspicue explicare & ex antiquitatibus Romanis laudabiliter illustrare. Vid. Wissenbachius, Huberus, Noodrius, Schultingius, & ex nostris Struvius, Lauterbachius, &c. ac præ reliquis Illustr. Gundlingius in *parte 1. Digestorum modo publicatorum*. Solent equidem plerique omittere effectus infamæ, sed id credo factum esse eo, quod de effectu infamæ nulla in titulo Digestorum aut certe exigua in dicto titulo Codicis fiat mentio. Sed cum tamen in rebus politicis & moralibus effectuum cognitio ad melius intelligendas res ipsas sit maxime necessaria, etiam hunc defectum supplerunt aliqui. Id quidem commune est, quod intuitu connexionis horum titulorum tam in Codice quam in Pandectis afferant Dd. infames non posse esse Procuratores nec Advocatos; sed reliqui effectus, ut dixi, plerumque omittuntur. Contra qui eos recensent ut novissime Schultingius *p. 365. §. 11. 12.* sequentes effectus notant, allegatis simul legibus ex Codice & paucis ex Pandectis: nimirum: Infamia excludit a dignitatibus, & quæsitos honores adimit, non autem immunitatem, dat curialium vel civilium munus, in testimoniis fidem minuit, non vero in totum a testimonii dicendi facultate excludit, nisi si quis sit justus esse improbus & instabilis; facit aliquando infamia instituti heredis locum inofficiosi querelæ, nisi ipse quoque actor simili labe adpersus sit &c. Hactenus Schultingius. Eadem est sententia Lauterbachii *Colleg. Theor. Præf. ad hunc tit. §. 22. p. 331. seq.* nisi quod in specie etiam remotionem a Doctoratu, & ex Recessibus imperii addat, quod non admittantur infames ad officium Notariatus, item ex ipso jure civili, quod non admittantur infames ad collegia Senato-

rum & opificum; denique, quod infames quidem de jure civili non plane arceantur a testimonio, sed saltem eorum fides attenuetur, jure Canonico vero a testimonio plane repellantur,

§. XXXIII.

Doctorem
dissentio.

Quodsi tamen paulo attentius rem consideres, patebit, non exiguam esse Doctorum in explicacione infamiae secundum istos duos titulos dissensionem. Quod definitionem attingit, non omnes conveniunt cum definitione modo adducta, quae ex Wissenbachii *exerc. ad Pand. b. i.* perita est. Dn. Ludovici generis loco maculam ponit, infamiam definiens *doffr. Pand. p. 86.* quod sit macula ex turpi & legibus prohibito facto contracta. Nimirum Wissenbachius in defn. sua videtur magis ad infamiam juris respexisse, unde addidit exclusionem ex honestorum virorum numero: contra Dn. Ludovici cum aliis infamiam facti imo & levis notae maculam videtur sub definitione sua voluisse comprehendere. Etenim nova controversia orta inter nonnullos: Utrum infamia facti & levis notae macula sint verae infamiae species, an saltem analogae & affines, unde etiam non consentiunt in quaestione, an infamia facti & juris iisdem an diversis effectibus gaudeant. Eosdem tribuit Laüterbach *d. l. §. 30. p. 335. seq.* diversos Schultingius §. 2. p. 355, Wissenb. *disp. ii. ad Pand. ib. 13.* Titius *Jur. Priv. libr. 3. c. 3. §. 13. 14.* Illustr. Gundling, §. 7. 8. p. 274. Affinis praecedenti est quaestio de ignominia, utrum ab infamia differat & quomodo. Ex una parte dici poterit, ignominiam & infamiam esse synonyma, non solum, quod Julianus *l. i. hoc tit.* primo loco in classe infamium collocet ignominiae causa ab exercito missos, juncta explicacione Ulpiani in *l. 2. hoc tit.* potissimum §. 2. §. 4. (ubi & peculiarem effectum hujus infamiae notat, quod ejusmodi infamis neque in urbe neque alibi, ubi Imperator est, morari possit.) Sed & quod in *l. 5. Cod. b. i.* ignominia synonymice pro infamia videatur usurpari, dum Imperator dicat, eum ignominia notatum esse, quem Praetor pronuntiaverit injuriam fecisse. Accedit quod communiter in lexicis, v. g. Fabri, ignominia, infamia.

infamia, probrum, dedecus, turpitude ut synonyma recenseantur & per voces Germanicas *Hohn*, *Nachtheil*, *Schande*, *Schmach* item infamare, infamiam conciliare, ignominia notare, etiam synonymice usurpata, per phrasas, *übel berüchtigen*, *zu schanden machen* explicari soleant. Ita & Lexicon Juridicum Scharidii nullam notat differentiam inter ignominiam & infamiam. Conf. *l. 42. de V. S.* Contra si quis confideret locum Ciceronis, adductum a Briffonio de *verb. signific. vocis ignominia*, & quæ ipse Briffonius adnotavit, patebit ignominiam & infamiam ita differre, ut ignominia saltem denotet notam nominis seu iudicium censorum Romanorum, nihil esse damnato nisi ruborem afferentem, adeoque magis ad infamiam facti, quam juris (seu stilo Titii ad infamiam negativam) accedentem. Conf. *Illustr. Dn. Gundl. ad b. t. §. 7. 8. p. 274.* Denique in fine §. *preced.* notavi, a Lauterbachio asseri, quod Jure Romano intuitu effectum infamiae etiam ille sit, quod infames non admittantur ad collegia opificum, quem in finem citat Lauterbachius *d. l. 40. ff. de injur. §. l. 2. Cod. de dignit.* Contra, exclusionem a collegiis opificum non esse effectum infamiae juris Romani docet distincte *Illustr. Gundl. ad b. t. in sect. de jure patrio §. 17. p. 289.* etsi dissentientem Lauterbachium non nominet. Huic enim facile responderi potest, *d. l. 2. Cod. loqui de dignitatibus & l. 40. ff. de decurionibus*, neutram de collegiis opificum. Ut taceam, decuriones Romanorum ne quidem cum Senatoribus Germanorum accurate comparari, adeoque nec tituli *ff. de decurionibus* magnum usum esse in Germania. Vid. *B. Strykii Us. modern. & Dn. Präsid. notes ad tit. de decurion.*

§. XXXIV.

Illud etiam communiter a commentatoribus ad Jus Justinianum negligi solet, an omnes effectus infamiae juris §. 32. ex Schultingio & Lauterbachio recensiti, apud Romanos in omnibus infamium *d. l. 2.* propositis generibus obtinuerint, an potius alii in his, alii in aliis infamatis usu fuerint recepti.

Monita de incertis effectibus infamiae eorumque facili evitatio-

Causa primaria dubii hujus in eo sita est, quod collectores juris Justiniani debito loco de effectibus infamiae communibus, vel plane non, ut in Digestis, vel saltem obiter ut in Codice egerint. Id certum est, effectum illum cuius in §. *preced. ex l. 2. §. 4. ff. b. t.* adduxi, quod ignominiae causa missus neque in urbe, neque alibi ubi imperator sit, commorari possit, ad reliqua infamium genera non esse extendendum, uti etiam non memini, a Doctoribus eo fuisse extensum. Ipse Schulringii locus *d. §. 32.* adductus, etsi id non discrete dicat, tamen tacite indicat, ac argumenta quaedam suppeditat, effectus infamiae ab ipso enarratos non semper & ubique obtinuisse. Neque credo ea, quae Ulpianus *l. 42. de P. S.* dixit saltem civiliter turpia esse & probrosa (qua de re confer Dn. Praesid. *disput. de exstimatione coroll. §.* & Schulting *§. 8. p. 363.*) eosdem habuisse effectus infamiae apud Romanos cum illis quae natura sunt probrosa, v. g. furtum & adulterium. Ita tutelae damnatum, quem exempli loco adducit Ulpianus, & ex paritate rationis, damnatum directa mandati, depositi, pro socio actione non credo, (nisi forte Censuram tempore) a dignitatibus exclusum, certe non credo, eum quaesitis honoribus esse priyatam. Imo omnem infamiae effectum ab eiusmodi condemnatis plerumque fuisse evitatum firmiter mihi persuadeo, cum edictum Praetoris ipsis suppeditaverit modum facillimum id faciendi, si non ipsi comparuerint sed per procuratores, cum hoc pacto non ipsi suo nomine condemnarentur sed procuratores, utpote Jure Romano post litem contestatam domini litis. At ex edicto illi saltem fiebant infames, qui suo nomine damnati essent, *d. l. 1. junct. l. 6. §. 2. ff. b. t.* Porro hac observatione praesupposita sua sponte sequitur, quod etiam apud Romanos rarissime infamiae poenam & effectus senserint illi, qui furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, adeoque ex veris delictis, & natura talibus, damnati essent, cum idem Edictum Praetoris & in his requireret, ut suo nomine condemnati fuerint, & cum etiam in his actionibus Rei per procuratores comparere potuerint.

§. XXXV.

§. XXXV.

Quæ omnia simul docent, infamiam tanquam poenæ delinquentium effectus apud Romanos tempore edicti Prætorii fuisse exiguos & cum moribus aliarum Gentium, maxime Græcorum, haud quaquam comparandos. Declarat hanc assertio-
nem Joh. Seldenus *de Synedr. Hebr. libr. 1. cap. 10. p. 277. seqq.* etsi paululum confusus pro more mentem suam explicet. Docet enim, quod ex titulo ff. de his, qui notantur infamia (videlicet ad edictum Prætoris solum respiciente) satis dignoscatur, quod apud Romanos infamia, quæ delinquentes notati fuerint, multo levior fuerit infamia Græcorum, cum apud Athenienses & alios etiam Græcos infames penitus jure patrio ejusque beneficio fuerint exuti, in tantum, ut pristinae vitæ commercio privarentur, ut plane tum quasi exules in patria haberentur, tum impune etiam occidi possent. Etsi vero successu temporis gravioris infamiae gradus & effectus, quam qui hætenus intuitu edicti prætorii sunt recensiti, etiam apud Romanos initio per aquæ & ignis interdictionem, postea etiam per deportationem sub imperatoribus in usum deducerentur *l. 2. §. 1. de pœnis.* (Seldenus *d. l.* & alii, quos citat Dn. Heinecius *in Syntr. Antiq. Roman. ad Inst. lib. 1. tit. 16. §. 9. seq. p. 214. seq.*) illi tamen communiter ab interpretibus ad titulum de his qui notantur infamia solent negligi aut omitti, quin & ipsa deportatio, forte ob concomitantes illos maximæ infamiae gradus & amissionem omnium jurium civitatis, pœnis capitalibus (cum quibus sane nihil commune habent effectus infamiae hujus tituli) accensetur *d. l. 2. pr. de pœnis.* Ut taceam, quod Edicta Prætorum, (non excepto etiam Edicto perpetuo) intuitu frequentissimarum juris mutationum contra reliquias libertatis pristinae, quæ tempore Edictorum Prætoriorum adhuc flore-
bant, factarum, in genere sub Imperatoribus, & adeo multo magis Justiniani tempore exiguum haberent usum, & quod ipsum etiam edictum perpetuum magis ad decipiendam plebem quam ad perficiendam Jurisprudentiam Romanam sub
Hadria.

Exigui effe-
ctus poenarum
infamantium
apud Roma-
nos intuitu
Græcorum.

Hadriano Imperatore fuerit promulgatum, cum ipsa prima Prætorum constitutio, ad decipiendam plebem fuerit inventa, & edictum perpetuum etiam in aliis juriscapitibus non pauca contineret, quæ tempore Imperatorum exiguum haberent usum. Conf. Dn. Præsid. *de novis Jurispr. Ante Justin. lib. 1. c. 7. p. 25. seq. lib. 2. c. 3. p. 81. seq. potiss. p. 85. n. 3.* Dn. Heinecc. *Antiq. Roman. lib. 1. tit. 2. § 18. ad §. 24. p. 53. seq. & in proem. §. 14. seq. p. 15. seq.* Ut adeo ne quidem intuitu jurisprudentiæ Romanæ tituli juris Justiniani de his qui notantur infamia magnum usum ad probe cognoscendas naturas infamiæ & pœnarum infamantium præbere queant.

§. XXXVI.

Exiguus usus
titulorum ju-
ris Romani de
infamia apud
Germanos.

Quamvis autem hodiernum inter Jctos celebres non pauci sint, qui manibus pedibusque eo laborent, ut juventuti orthodoxæ firmiter persuaderentur, ingentem in foris Germaniæ esse usum jurisprudentiæ Justinianæ, & periculosissimam ac maxime noxiam Jurisprudentiæ aut certe Jctis (ad minimum adulatoribus & ambidextris) esse doctrinam eorum, qui hætenus exiguum ejus usum ad oculos demonstrarunt; nescio tamen, qui factum fuerit, ut etiam maximè præcones Juris Justiniani & ejusdem Usus practici in doctrina de infamia coacti fuerint constiteri, eam ex legibus Romanis primario non esse hauriendam, sed infamiam tam intuitu actionum quæ pro infamantibus haberi debeant, quam intuitu effectuum infamiæ ex singulis populorum ac provinciarum legibus & moribus esse deducendam, cum utrobique maxima sæpius respectu utriusque deprehendatur esse differentia. Vid. B. Strykii *Us. mod. Pand. ad tit. de his qui not. infam. passim, potissimum §. 1. 7. seq.* quamvis, pro more ejus, cum doctrina ubi adhuc resistentem usum juris Romani defendit (ut §. 11.) parum cohareat, uti ostendit Dn. Præses in *notis ad Pand. dist. tit. p. 77.* & simul assertionem de variantibus Romanorum & Germanorum moribus variis exemplis illustravit. Adde Huber. *Eunom. Rom. ad dist. ff. tit. p. 134. ad p. 144.* Illustr. Gundling. *in jure patr. ad h. t.*

p. 284. seq. etſi uterque etiam ſimul doceat, in non paucis con-
venire mores Germanorum cum Romanis, ſcilicet non propter
autoritatem juris Juſtiniani, ſed ex aliis rationibus.

§. XXXVII.

In ſpecie de uſu hodierno leg. 22. ff. h. t. diſſentire ſolent
JCTi celeberrimi. *Ictus fuſtium non infamat*, inquit Marcellus,
ſed cauſa, propter quam id pati meruit, ſi ea fuit, que infamiam
damnato irrogat: id eſt ſi ob delictum infamans quis fuſtibus
cæſus fuerit. Videtur prima fronte hæc doctrina Marcelli eſſe
ex ipſo jure naturæ & univerſali petita, adeoque etiam ubique,
& ergo etiam apud Germanos recepta: nam id voluit dicere
Marcellus, ictum fuſtium vel inferri ex injuſta cauſa in contu-
meliam, adeoque non eſſe pœnam ſed injuriam a verberante
commiſſam; vel inferri jufſu magiſtratus ob delictum & tunc
etiam hunc ictum fuſtium producere effectum delicti infe-
parabilem, id eſt infamiam. Quid clarius hoc aſſerto, quid
evidentius? Hoc tamen non obſtante Grœnewegenius de leg.
abrog. ad d. l. 22. p. m. 38. dicit: *Moribus noſtris non tam ex cauſa,*
quam ex genere pœnae infamia irrogatur; ideoque hodie ictus fuſtium
& ceteræ pœnæ corporales infamiam impertant. Quare etiam non
mirandum, quod multi JCTi celebres huic doctrinæ Grœne-
wegii contradixerint. Vid. Brunnem. ad d. l. 22. ff. h. t. Huber.
Eunom. jur. Rom. ad eand. leg. p. 143. Strykii uſ. modern. ad h. t. §. 13.
p. 323. (quamvis hi poſitiſſimum impugnent Grœnewegenium
ob l. 13. §. 8. eod. tit. cujus uſum ſimiliter negat hic d. p. 98. &
forte diſſidentibus reſponderi poterit ex Wiſſenbachio diſput.
11. p. 24.) Sed videntur mentem Grœnewegenii non ſatis perce-
piſſe, etſi in loco adducto provocaverit ſimul ad ea quæ ad
§. 2. Inſt. de pœn. com. litig. notaverit, ubi ſcilicet p. 68. ſeq. notave-
rat, noſtris moribus civilia judicia tutelæ mandati, depoſiti,
famofa non eſſe, & non tam ex cauſa, quam ex genere pœnae in-
famiam irrogari. Hunc locum ſi cum præcedenti jungas vide-
tur Grœnewegenius ſtatuiſſe, apud Germanos in delictis non
tam ex cauſa (id eſt quæ ſecundum Edictum Prætoris infama-
bat)

In ſpecie circa
quæſtionem,
quando & cur
ictus fuſtium
infamet.

bat) adeoque nec ex multa pecuniaria ob delicta sive publica sive privata dictata, sed ex solo genere poenæ, si ea corporalis sit ut ictus fustium, abscisio narium, aurium &c. infamiam irrogari. Atque hæc sententia Grœnevegenii non solum vera sed & evidens est ex principiis juris naturalis. Hoc enim jure nullibi dicitur, quod infamia debeat esse poena universalis omnia delicta, omnesque actiones dolosas concomitans, sed determinatio infamiae ex specialibus potius prudentiæ politicæ regulis determinanda est, adeoque falsum est postulatum *institio hujus §.* positum, quasi infamia sit effectus delicti inseparabilis. Imo hæc sententia Grœnevegenii occasionem dat ulterius limitandi ejus assertum de infamatione poenarum corporalium. Nam primo jam supra §. 16. notavimus, ictum fustium & similes poenas corporales apud Judæos & alios quosdam populos non infamasse, etiam si ob delicta maxime dolosa, fuerint illata. Deinde hodiernum videmus v. g. milites, etiam si virgis ob delicta vera publice in omnium conspectu & gravius sæpe coercerentur, quam qui a carnifice virgis excidunt, non tamen propterea infames fieri, adeoque nec universaliter verum esse quod Grœnevegenius dicit, genus poenarum corporalium infamare, sed limitandum esse, si inferatur a carnifice, aut ita dicendum: nec ictum fustium solum, nec causam delicti solam, nec solum genus poenæ corporis afflictivæ, sed præcipue personam punientem, si carnifex vel licitor fuerit, hodie infamare,

§. XXXIIX.

Cur doctrina
de infamia &
poenis infamantibus etiam
ex jure Germanico &
ejus interpretationibus peti
audeant?

Sed neque tamen ex jure Germanico aut ejus interpretationibus, potissimum hodiernis, explicatio distincta de poenis viventibus infamantibus, quid proprie per eas intelligatur, & quanam sint hujus infamiae effectus, peti poterit. De antiquis Germanorum moribus equidem nonnulla Tacitus memorat, ad doctrinam de poenis infamantibus pertinentia, v. g. *cap. 12.* inquit: *Distinctio poenarum ex delicto: proditores & transfugas arboribus suspendunt; ignavos & imbelles, & corpore infames, cæno ac palude, injecta*

injecla insuper crato mergunt. Diversitas supplicii illuc respicit, tanquam scelera ostendi oporteat dum puniuntur, flagitia abscondi. Sed & levioribus delictis pro modo pœnarum equorum pecorumque numero convicti multantur, pars multe regi vel civitati, pars ipsi, qui vindicatur, vel propinquis ejus exolvitur. Hic quidem corpore infamium sit mentio, & pœnarum capitalium infamantium, in tantu viventium vero solum multe memorantur non infamantes & ipsi interpretes nesciunt, sed mire dissentiunt an recte legatur corpore infames & quid per hos denotetur. Ut taceam, obscuriorem esse differentiam inter scelera & flagitia. Similiter cap. 19. Paucissima in tam numerosa gente adulteria, quarum pœna presens & maritis permessa. Accis criminibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verberare agit: publicata enim pudicitie nulla venia, non forma, non ætate, non opibus maritum invenerit. Nemo illic vitia videt, nec corrumpere & corrumpi seculum vocatur. Ex quo loco id quidem apparet, intuitu adulterii & pœnæ ejus magnam fuisse inter Romanos & Germanos tempore Taciti differentiam, item quod hic pœna infamans viventibus illata recenseatur, quousque vero hæc pœna infamiae ultra exclusionem a spe nuptiarum effectus suos extenderit, non memoratur, nec commentatores explicant. Fuit etiam antiquitus, quamvis post tempora Taciti, usurpatum a Francis, Suevis, Saxonibus &c. ut delinquentes ob certa criminum genera, ad confusionis saxe ignominiam, nobilis canem, ministerialis fellam, rusticus aratri notam de Comitatu in proximum Comitatum gestare coactus fuerit; ac multa huc pertinentia collegit Johannes Andreas Crusius peculiari discursu de canum portatione, qui invenitur in ejus opusculis variis; sed cum exiguo judicio, dum v.g. modo ex Ottone Frisingensi & Gunthero asserit, hanc pœnam antequam mortis sententia punirentur delinquentes, eis fuisse impositam, modo addit (p. 10. & 13.) post hanc *κρυφοπία* non temper subsecutum fuisse ultimum supplicium, neque tamen explicat, an hoc casu puniti saltem momentanea ignominia fuerint affecti, an infamia eorum diutius duraverit & quos effectus produxe-



tit. Sunt etiam in illis locis, quæ supra §. 10. de moribus Germanorum ex Speculo Suevico & Saxonico adduxi, nonnulla obscura & dubiæ interpretationis, ut jam quædam ex istis at-
tuli §. 22. Ergo optandum quidem esset, ut doctrina hæc de origine & progressu poenarum infamantium apud Germanos secundum ductum eorum quæ Dn. Præses in coroll. *disp. de Exi-
stimat. & Fama item in disput. de actione injuriarum* §. 19. seq. & Dn. Gundling, *ad h. t. de jure patrio* monuit & notavit, paulo clarius proponerentur; sed cum id nondum factum sit, & nos ad decidendam quæstionem propositam hac elaboratione carere possimus; id saltem hoc loco addimus, a Commentatoribus Germanicis hodiernis ad Jus Civile vel ideo non expectari posse doctrinas perspicuas de natura ac speciebus infamiæ & poenarum infamantium, cum hic nihil aliud agant communi-
ter, quam ut reperant doctrinas Juris Romani, ctsi fateantur utrobique, classes infamium variare.

§. XXXIX.

Neque etiam
ex scriptori-
bus juris na-
turæ & Gen-
tium vel do-
ctrinæ Politi-
cæ.

Ergo nemo forte mihi vitio vertere posset, si poenarum infamantium diversas species a doctoribus juris naturæ & gentium vel doctrinæ Politicæ peterem. Sed nec hoc facere possum, Restaurator juris naturæ & gentium Grotius, de infamia & poenis infamantibus paucissima habet. Pufendorffius quidem partim in peculiari *dissertat. de existimatione*, partim in tractatu *de jure nat. & gent. lib. 8.* multa de existimatione (cujus oppositum est infamia) & jure principis circa existimationem civium proponit, sed pauca de infamia tradit §. 7. & 8. & quæ magis sententias JCorum & aliorum de infamia collectas proponunt, quam ut ipsum thema de infamia & poenis infamantibus perspicue explicent. Unde & jam ante plures annos Dn. Præses in *dissert. de existimatione* &c. tentavit hunc defectum supplere, proposita distinctius doctrina de existimatione & infamia extra Rempubl. Sed cum poenæ infamantes respiciant existimationem & infamiam non moralem illam extra Rempublicam, sed infamiam politicam in Republica &
nec

nec Grotius *l. 2. c. 20.* nec Pufendorffius *lib. 8. cap. 3.* (quamvis uterque ibi de poenis tractet) de ambiguitate hujus infamix & ejus speciebus & effectibus, quod dubia passim obvia tollat, quicquam notatu dignum proponant, neque Politici etiam hodierni, quod sciam, hunc defectum supplere soleant, veniam spero ab omnibus doctrinx moralis & politicæ veræ & genuinæ amantibus, si in re tam difficili forte non ubique rem acu tetigerim, & quod saltem generalia & pauca, præcipua tamen, & quæ hinc inde *corollaria* Dn. Præsidis *citata disputationi adjecta* illustratura sint, propositurus sim, alterius diligentix relinquens pleniorē elaborationem doctrinx utilissimæ de existimatione & infamia civili seu politica.

S. XL.

In statu naturali fama & infamia primario respiciunt existimationem aliorum hominum cujuscunque generis de nostra vita virtuosa aut vitiosa, ut latius ostensum in *citata disputatione*. Fama politica quid ac quodplex. Et si vero & illa fama & infamia non excludant honorem, & ignominiam, tamen & iste honor ac ignominia diversa plane est ab honore ac ignominia civili & politica, cum extra rempublicam homines sine respectu ad statum, potentiam, divitias, &c. ex sola virtute alterius & vitiis ejus famam aut infamiam æstimare debeant, imprimis cum in statu naturali omnes habeantur intuitu status & potentix, aut clarius, intuitu imperii, pro æqualibus. At in Republica cujuscunque generis præcipua differentia a Statu naturali consistit in imperio civili & hoc concomitante honore, non libero, & qui est in potestate honorantis, sed coacto, qui primario dependet a potestate honorati. Imperantes igitur sunt honorandi, subditi regulariter honore carent. Hujus autem imperantium classis, cum iterum varia pro diversitate formarum Reipublicæ sint species, experientia & sensibilia principia Politicæ doceant, quod in Monarchia major honor, major fama & existimatio civilis debeat Regibus & Principibus, quam in Aristocratia & Democratia singulis imperantibus. Porro Imperantes

in quacunq; Reipublicæ forma non omnia possunt ipsi expedire ad imperium pertinentia, sed opus habent imperantibus inferioribus etsi subditis, qui adeo de honore etiam imperantibus debito, quamvis in inferiori gradu, participant; Cum igitur & subditi hoc intuitu sint aliquo modo partim re ipsa, partim in spe participes imperii, & horum in Republica varii gradus esse solent; nobiles, ignobiles, eruditi, mercatores, opifices, rustici, & rusticis æquales aut certo respectu viliores, qui pro mercede quotidiana operas suas locare solent. Prout igitur hi pro diversitate morum & natura reipublicæ propiorem aut remotiorem spem ad participationem imperii habent, eo respectu etiam sunt vel honoratiores vel viliores, & eo respectu etiam eorum existimatio & fama politica vel simplex vel intensiva dici poterit: imo qui in intermediis statibus positi sunt, eorum fama respectu superiorum simplex aut etiam vilior, respectu inferiorum intensiva & honoratior appellari potest, ut facile quilibet, qui saltem sensu communi pollet, absque allegatione legum & autorum manu palpare potest.

§. XLI.

Infamiae Politicæ homonymia.

Eadem fere est ratio oppositi famæ Politicæ, nimirum infamiae, si modo homonymiam infamiae paulo distinctius notes. Infamia Græce ἀσμία dicitur, & infamis ἀσμιος. Sed ἀσμία & ἀσμιος etiam sæpe usurpantur pro sola gloriæ & honoris carentia & pro homine in statu vili vivente, adeoque etiam infamiae & infamium significatus de posteriore hoc genere vitæ in republica prædicari consuevit. His præsuppositis sua sponte sequitur, infamiam esse duplicem, unam improprie aut analogice sic dictam, negativam intuitu honorum, in sola vilitate status consistentem, conjunctam tamen cum existimatione politica simplici aut certe ei non oppositam, nec excludentem famam intensivam moralem, alteram proprie & eminenter sic dictam, positivam intuitu ignominiae, partim in privatione dignitatum & honorum consistentem, partim in exclu-

exclusionem ab omni jure communi concivium etiam vilissimorum.

§. XLII.

Prior infamia ideo est ignobilior & analogice vel improprie sic dicta, quia non præsupponit factum turpe & legibus prohibitum, sed potest accidere homini a mero infortunio & nativitate, ut sunt liberi rusticorum & qui rusticis viliores sunt; aut etiam homines in servitutem reducti, vel in servitute nati. Regulariter tamen hi in rebus publicis cujuscunque formæ solent excludi a spe adipiscendi honores civiles, licet regulariter non excludantur a fructione juris quod omnibus civibus commune est. Dico regulariter; nam extra ordinem potest contingere, ut etiam hi infames ad honores admittantur, cujus rei exempla dedit Dn. Præses citat. *disput. coroll. 19. & 20.* extra ordinem potest contingere ut hi viles, etsi innocentes ne quidem communibus juribus civium omnium gaudeant, v. g. ubi domini in servos habent jus vitæ & necis, item ubi filii carnificum excluduntur ab opificiis. Cum vero hæc infamia non sit hujus loci, ubi de pœnis infamantibus sumus solliciti, remitto lectorem de jure carnificum & similibus statuum vilium sollicitum ad ea quæ dicta sunt in *diel. coroll. 20.* & in *disput.* jam sæpius citata *de Noric. causis exbered.* Hi infames seu viles proprie dicuntur Ehrlose in idiomate Germanico, cum honore omni careant.

§. XLIII.

Infamia proprie dicta (qua qui laborant proprie vocantur Unehrlische) in privatione honoris & positione ignominia & contumeliæ consistens, a præcedenti etiam in eo potissimum differt, quod etsi in civitate hæc infamia etiam dependeat a voluntate imperantium, tamen utrobique voluntas imperantium habeat diversas regulas politicas. Intuitu infamiae negativæ imperantes considerant nativitatem, & mores variantes populorum regulariter id observantium, ut hæc infamia etiam

Infames proprie dicti (Unehrlische) quomodo intuitu principis differant a præcedentibus.

etiam ad liberos transeat, gaudent tamen hic imperantes intuitu hujus infamiæ jure majestatico, vilitatem hanc ex gratia tollendi & ad honoratiorem statum evehendi hos infames, et si regulæ morales & politicæ hic simul inculcent, ne sine justa causa jus hæc aggratiandi traducatur in praxin. Contra princeps etiam contra regulas justitiæ peccat, si civi innocenti inferat ignominiam seu infamiam positivam, cum hæc infamia præsupponat meritum seu factum turpe personæ infamandæ, unde & pœnæ nomine venit; quia omnis pœna præsupponit delictum,

§. XLIV.

Pœnarum infamantium
variarum divisiones,

Pœna vero infamans seu infamia proprie dicta, si consideremus mores Gentium, & quid fieri soleat, iterum diversas species sub se comprehendit, vel enim intuitu delinquentium infamat mortuos vel infamat viventes. Deinde intuitu effectus vel saltem diminuit fidem infamati, & ei spem honores adipiscendi adimit, vel privat insuper honore adepto idque vel cum spe recuperandi, vel absque ea; vel afficit insuper contumelia & ignominia, rursus vel perpetua vel temporali. Porro pœnæ infamantes sunt vel simpliciter tales, i. e. non conjunctæ cum alia pœna, quales sunt potissimum, quæ nullum præsupponunt crimen aut delictum publicum, sed saltem vile factum, aut dolum in quibusdam contractibus & delictis privatis; vel concurrunt cum aliis pœnis; iisque vel capitalibus, vel non capitalibus, & his vel corporis afflictivis, ut fustigatione, aurium, vel nasi abscissione &c. vel exilio & relegatione, vel multa pecuniaria &c.

§. XLV.

Non omnes
pœnæ infamantium, tam
capitales;

Cave tamen ne putes divisionem pœnarum infamantium in capitales & non capitales cum hac posteriore converti, ita ut omnes pœnæ, sive capitales, sive non capitales sint regulariter & apud omnes gentes etiam infamantes; sed potius, si mores Gentium variantes consideres pœnæ tam capitales

tales quam non capitales iterum subdividi possunt, quod sint vel infamantes vel non infamantes. Ita quod capitales attinet, regulariter quidem omnes pœnæ capitales infamare solent, sed tamen non tam propter delictum ipsum, aut propter pœnam capitalem qua talem, quam (hodie certe) propter personam, quæ pœnam exequitur, si scilicet id faciant carnifex aut lictores: Unde non puto inter poenas militares eam pœnam capitalem, qua delinquens a commilitonibus suis sclopetis interficitur, (wenn Er arquebusiret wird) infamare, sed credo potius, ideo hoc mortis genus esse electum & inventum a legislatoribus, ne delinquentibus ita occisis aut eorum familiarum aliqua infamæ species hac pœna capitali accresceret. Conf. Dn. Ludovici *Einleitung zum Kriegs Process cap. 13. §. 3. p. 296. §. 7. p. 202.*

§. XLVI.

Inter poenas non capitales fustigatio per carnificem facta ^{Quam non capitales.} apud nos infamat & conjuncta est cum relegatione, per quam delinquens ab omni jure concivium etiam vilissimorum excluditur. Apud Judæos vero fustigatio & verbera cum non fierent a personis infamibus, sed honoratis, & verberati etiam manerent in societate civili, non infamabant. Repete supra dicta §. 3. & 16. Eadem ratio est, quod in pœnis militaribus fustigationes & verbera, das Prügeln und das Gassenlauffen, oder durch die Spießruthen lauffen etiam non infament. Conf. Dn. Ludovici *d. l. p. 198.* Aurium & narium abscissio videtur esse poena semper infamans. Relegationes quidem temporariz plerumque, sed perpetuæ semper infamant, non tamen Academicæ, nisi mentio infamæ expresse adjiciatur.

§. XLVII.

Mulcta pecuniaria, si mores nostros inspicias, non infamatur. In specie famatur; si Jus Romanum res videtur dubia, quamvis commulctur. mulctæ. niter a Commentatoribus hæc controversia negligatur, aut superfluciarie saltem tractetur. Si species infamium *l. 1. de his qui*

G

qui

qui not. infamia recensitas confideres, videtur, firmum satis argumentum inde formari posse, quod multa etiam apud Romanos infamaverit. Nam si damnati in delictis privatis, imo in quibusdam actionibus ex contractibus infames sunt, & quidem nullam aliam ob causam, quam ob dolum in istis contractibus & delictis commissum, multo magis infamari debent, qui in criminibus vel publicis, vel extraordinariis ob dolum condemnati fuerunt, etiam si istis saltem multa loco poenae fuerit dictata. Sed quod si confideres constitutionem Severi & Antonini *l. i. Cod. de modo mult.* quod multa damnum famae non irroget, hærebit aqua, quid ad argumentum præcedens respondere debeas. Neque enim satisfacient Commentatores *ad dist. tit. Cod.* ut qui vel hanc quaestionem plane omittunt, vel superficialiter & frigide tractant, ut patebit, si modo quis Perezium, Wissenbachium, Brünnemannum *ad d. tit. Cod.* evolvere velit. Video equidem in Pandectis etiam aliquoties inculcari (& quidem a JCtis alias raro consentientibus, Ulpiano atque Paulo *l. 131. §. 1. & l. 244. ff. de V. S.*) multum interesse inter multam & poenam: sed & hæc differentia, quamvis & a modo memoratis duobus JCtis Romanis & a Commentatoribus *in titulum de V. S.* fusius explicata, dubium istud de infamia & cur multa non infamet, non tollit, sed potius auget.

§. XLIX.

Quaestiones
de poenis capitalibus infamantibus & eorum iustitia.

Cum autem rubrica propositi Problematis loquatur de poena viventium eos infamante, & B. Titius in locis *supra* §. 2. excerptis etiam de poena infamiae viventibus imposita tantum loquatur, patet, a me postulari non posse, ut de poenis capitalibus & quaestionibus circa eas a Doctoribus formatis hoc loco sim sollicitus. Sed uti earum distinctam explicationem alterius diligentiae relinquo, ita licebit tamen mihi hoc loco mentem meam circa præcipuas in summa & brevissimis proponere. De quaestione utrum poenae capitales omnes, sive infamantes, sive non infamantes, sint a Christianis abrogandæ,

dz, jam mentem meam ab initio §. 2. supra declaravi, negando quaestionem. In specie quod poenam furti attinet, quæri solet, an recte apud Christianos fures suspendio puniantur, cum hanc poenam ignoret Lex Mosaica? Affirmo hanc quaestionem, etsi dissentiant non pauci Theologi & Jcti. Vid. Commentatores ad Grotium de J. B. & P. l. 2. c. 1. §. 14. Bernhardi Schultzens Jcti Rintelensis dissert. ad Præcept. non furtum facies §. 29. p. 101. seq. Eckolt. ad Pandect. tit. de furtis §. 12. B. Coccej. Dissert. de proport. furti & suspendii rupto laqueo §. 11. & 13. Quod infamiam concernit cum plerisque poenis capitalibus connexam, quæri poterit: annon, etiamsi indubium esset, quod poenæ infamantes non capitales sint iustissimæ & Republicæ utilissimæ, tamen simul evidens sit, infamiam per poenas capitales illatam vel inferendam repugnare rectæ rationi, cum effectus omnes infamæ superius §. 42. & 44. recensiti ad poenas capitales non quadrent, puta exclusio ab honoribus, diminutio fidei in testimonio, degradatio ab honoribus, exclusio a communibus juribus concivium, nec adeo etiam possit defendi per rationem, quod hæc infamia debeat emendare non ipsum capitaliter punitum sed alios viventes, ne talia delicta committant, cum res omni effectu destituta ad emendationem sit inepta. Sed respondeo: esse etiam quosdam effectus irregulares infamæ, mortuos quoque afficientes, v. g. carentiam sepulturæ, sepulturam infamantem, impositionem rotæ, relictionem cadaveris in patibulo &c. Et quamvis hi effectus parum philosophice & nonnisi improprie & ex falsa imaginatione viventium afficiant mortuos, sufficit tamen ad finem poenarum obtinendum, quod ejusmodi imaginationes tamen frequentes sint in viventibus, & prudentis legislatoris officium intuitu poenarum etiam in eo consistat, ut falsis quoque imaginationibus populi leges suas accommodet. (Cujus rei exemplum esse potest, quod communiter credatur poena suspendii majores dolores inferre corpori suspensi, quam decollatio, & quod interfectio mediante rota adhuc graviore dolores operetur etiam illa, cum primo rotæ ictu cervix delinquentis

frangitur.) Et memini me olim in Laurenbergii *Acerra Philologica* legisse, quod, cum alicubi ex rabie quadam communi & præternaturali virgines sine ulla justa aut saltem verosimili causa, se ipsas quotidie vivas suspenderent, hic furor deprimi ante non potuerit, quam magistratus jussisset, cadavera ejusmodi suspensarum, nuda a carnifice per plateas publice, ligatis ad pedes fustibus, trahi & infami sepultura abscondi.

§. XLIX.

Peñz vener-
ium, eos in-
famantes du-
plicis generis.

Præterea etsi quidem Titius loquatur de poenis infamantibus non capitalibus, quæ viventibus imponuntur, cum tamen intuitu effectuum diversorum & ipsæ sint varii generis, & rationes a Titio allatæ non ad omnia genera quadrent, opus erit, ut in formando controversiæ statu & hoc moneam, & occasione eorum, quæ jam *supra* §. 44. de poenarum diffamantium variis divisionibus notavi, hoc loco distinguam, utrum infamia civilis delinquentes saltem ad tempus privet honoribus vel ab eorum adeptione excludat, & tamen eos neque in exilium mittat, nec a carnifice poena corporis afflictiva infamari curet, ita ut hoc modo infamatis spes relinquatur, si actionibus externis virtuosis emendationem suam publice testati fuerint, ut vel honores ademptos recuperent, vel ad novos iterum admittantur: utrum vero poena infamans, delinquentes perpetuo excludat ab honoribus, aut eos publica ignominia positiva per carnificem aut alio modo afficiat, aut eos ab omnibus concivium juribus excludat; v. g. per fustigationes carnificis, relegationes, aurium, vel nasi aut manuum abscissiones &c. De singulis his duobus generibus seorsim agam, & a posteriori incipiam, inprimis cum Titius ad hæc potissimum respexisse videatur. Sed antequam id fiat, licebit adhuc quoad primam quæstionem *supra* §. 29. formatam, An poenæ viventium eos infamantes sint absurdæ? pauca monere de termino *absurdo*.

§. L.

S. L.

Adhibet hunc terminum Titius asserens: infamiam vi. Monita, quid hic significat ventibus impostam esse *absurdum* poenæ genus. (vide *supra* § 2) hic significat Et potest pro excusatione hujus vocis afferri, quod voces *ab-* Pœna absurda; *surditatis* & *absurdi* videantur quidem, si obiter considerentur, esse termini contumeliosi & injuria afficientes illos, contra quas ex adhibentur, sed tamen, si accuratius res examinetur, distinguendam esse ante omnia absurditatem logicam ab absurditate morali vel politica, aut absurditatem theoreticam a practica. Intuitu logicæ vel theoreticæ absurditatis quaestionem esse de veritate & falsitate doctrinæ, & absurdum hic omne vocari posse, quod cum ratione logica non convenit, unde etiam nihil frequentius esse in disputationibus de veritate quam deductiones ad absurdum sine præsumptione injuriz. At absurditates morales & practicas opponi actionibus honestis & prudentibus & denotare actiones turpes aut stultas, adeoque cavendum esse prudenti, ne per usum termini absurditatis vel absurdi, videatur asserre animum injuriandi, aut saltem peccare contra regulas modestiæ. Quodsi igitur verba Titii supra allata, ex quibus quaestio prima formata est, consideres, videtur omnino loqui de absurditate logica, & ostendere voluisse, poenas ejusmodi erronee prætere utilitatem Reipublicæ & justitiam, cum tamen eadem sint potius reipublicæ noxiæ & injustæ. Et credo etiam nullam aliam mentem fuisse Titii. Sed tamen cum quaestiones de eo, quod justum & Reipublicæ utile est, non sint mere theoreticæ sed simul practicæ de actionibus legislatorum ethice vel politice consideratis; prudentius erit, ut ab omni etiam suspitione animi injuriandi me liberem, si ingenuè constiter: me male a termino absurdi vel plane abstinere, uti & ipsum Titium alio loco fecisse jam d. §. 2. notavi, vel jam me expresse declarate, quod per absurdum poenæ genus nihil aliud intelligam, quam quod cum dictamine rectæ rationis non convenit: ita ut sensus quaestionis primæ sit: *An poena viventium, eos infamantes repugnet principis genuinæ Politicæ?*

§. LI.

Summa ratio.
nam, quod
poenæ infaman-
tes principiis
sanæ Politicæ
repugnent.

Quod igitur initio poenas illas infamantes posterioris
classis §. 49. recensitas attinet, statuo cum Titio, fustigationes
per carnificem, relegationes infamantes, aurium, nasi aut
manuum abscissiones esse poenas principiis sanæ Politicæ ad-
versas. Rationes asserti non opus erit prolixè afferre, cum
jam id factum fuerit in paragraphis præcedentibus. Prima-
riam rationem posuit ipse Titus (*supra* §. 2.) quod hæ poenæ
repugnent fini poenarum primario, cum delinquentes non
emendent, sed eos ad benefaciendum ineptos reddant, imò
ad majora potius facinora patrandà disponant, quam rationem
ulterius declaravi §. 26. & 27. Secundaria ratio etsi non pro-
bans, saltem illustrans doctrinam Titii, poterit desumi ab
ortu talium poenarum. Etsi enim exempla & mores gentium
per se (secundum communem regulam logicam) non probent,
illustrant tamen: Etsi leges Mosaicæ, quatenus sunt positivæ,
directo non obligent principes Christianos in omnibus, (uti
jam *supra* §. 48. exemplo suspensionis furum declaravi) tamen
quatenus præbent exemplum Reipublicæ prudentissime ordi-
natæ; quatenus leges aliarum gentium illis oppositæ ortæ sunt
a populo vel imperantibus, Reipublicam maxime noxiam &
irrationalem formantibus; eatenus nullum est dubium, exem-
pla legum Mosaicarum valde illustrare doctrinam evidenti ra-
tione jam subnixam, & ortum doctrinæ adversæ ex legibus
gentium aliarum eam ne quidem illustrare, sed potius magis
eie falsitate suspectam reddere; Jam vero satis ostensum est
supra §. 17. Reipublicam Ægypticam & aperte idololatricam,
(adeoque & principiis genuinis moralibus & politicis vel ob-
solam idololatriam contrariam) crudelissimos illos mores,
poenæ loco aures, nasum, manus abscindendi, videri primo
introduxisse, adeoque esse præcipuam, quæ poenarum viven-
tes infamantium, fuerit inventrix, uti etiam ex adverso
monstravi *supra* §. 16. nullum genus poenæ infamantis in Re-
publica Mosaicæ obtinuisse.

§. LII.

§. LH.

Eadem ratio etiam illustrabit responſionem noſtram de prudentia & juſtitia poenarum quæ delinquentes ſaltem ad tempus infamant inprimis ſi id fiat modice & ſine contumelia poſitiva. Quia enim ejuſmodi poenæ (quales videntur ſi non omnes, ſaltem pleræque apud Romanos fuiſſe illæ, quæ recenſentur in *l. i. Pand. de hiſ qui notantur infamia*, item ignominia a Cenſoribus proveniens, ſecundum ea quæ ſupra de effectibus infamiæ intuitu juris Romani §. 32, 34, 35. & de ignominia per Cenſores illata §. 21. ex Cicerone jam ſunt annotata,) infamatos neque ad benefaciendum in poſterum ineptos reddunt neque ad majora facinora patranda diſponunt, ſed potius aliquo modo impellunt, ut per emendationem & vitam virtuoſam ſamam & exiſtimationem amiſſam recuperent, ſane evidens eſt, quod poenæ illæ infamantes nequaquam (ne quidem a Titio) pro abſurdo poenæ genere poſſint declarari, cum ejuſ ratio palpabiliter hic ceſſet. Simul vero evidens eſt, quod Titius melius feciſſet, ſi hoc ſuppoſito, (in loco §. 2. adducto) de Romanis non aſſeruiſſet, quod in infamia tam irroganda quam tollenda aut impedienda fortaiſſis non ubique prudenter fuerint verſati, ſed ut potius aſſertionem hanc ſuam de poenis infamantibus ad poenas aliorum populorum, præcipue vero ad poenas hodiernum apud Germanos adhuc reſervantes reſtrinxiffet. Ergo ingenuè fateor, tales poenas nequaquam repugnare principiis politicis, nec directe nocere rei publicæ ſed potius ei aliquo modo prodeſſe. Neque obſtare puo huic declarationi, quod tamen in lege Moſaica nihil invenitur etiam de hoc genere poenarum infamantium, cum ſufficiat, eas etiam ibi non eſſe prohibitas, adeoque rem juſticio prudentis legiſlatoris eſſe relinquendam, utrum peculiariſ ſtatus ſux Reipubl. ejuſmodi poenas poſtulet, uti ſtatus noſtrarum rerumpublicarum poſtulavit, ut fures ſuſpenderentur, quod neque in Republica Judaica nec in Romana & aliis fiebat.

§. LIII.

S. LIII.

Has non quidem esse notitias Reipublicæ, sed tamen nec multum utiles.

Interim tamen nec illud erit omittendum, melius esse, si nec hæ poenæ infamantes in rebus publicis sint receptæ; aut certe indicium Reipublicæ imperfectæ esse, & non parum corruptæ, ubi etiam poenæ, saltem modice & ad tempus infamantes, sunt receptæ. Rationes sunt sequentes; 1. Quia Respublica Mosaica, etsi omnium perfectissima, eo poenæ genere non fuit usa; 2. Quia nulla hæctenus necessitas fuit adducta, cur poenæ hujus generis introduci debuerint, uti vel sensus communis docet, necessariam fuisse poenam capitale furibus impositam, adeoque non difficulter responderi poterit objectioni Justiniani Clementis adversus poenam furium *supra* §. 1. p. 2. adductæ. 3. Quia effectus istarum poenarum infamantium fuerunt imbecilles, cum facile evitari potuerint per dicta superius §. 34. *circa finem*. 4. Quia ab honore adipiscendo ad tempus exclusi, donec testimonia emendationis per vitam virtuosam ediderint, facile media reperire possunt, sive in Monarchico statu sive in statu Aristocratico & Democratico, ut sine emendatione vel per adulationes, vel per donationes pecuniarias, vel alio modo tribunos plebis, potentiores ex optimatibus, ministros principum, præcipue vero eos, qui ex Clero Jesuitizant, cum effectu corrumpant, ut ab ista infamia liberati iterum ad honores admittantur. 5. Quia, quod in specie exclusionem infamium a testimonio dicendo attinet, repugnat ea primis rectæ rationis principiis Logicis, cum absurdissimum sit logice, quod infamis aut inimicus veritatem nunquam dicat, imo repugnat quandoque principiis Politicis, si videlicet res de cujus veritate in judicio litigatur, non alii, quam ejusmodi infamato aut inimico sit cognita. 6. Quia, quod in specie solam diminutionem fidei spectat (vide *supra* §. 32. *in fine*) ea pro poena proprie dicta haberi nequit, cum leges, in quibus de hac diminutione agitur, non obligent judicem, adeoque non sint proprie leges, imo ne quidem regulæ proprie dictæ de fide a judice adhibenda, ut perspicue proba-

probavit Dn. Præses in disput. de fide juridica cap. 2. §. 57. seq. p. 75. seq. 7. Quia quod in specie notas censorias concernit, idem Dn. Præses in disput. de judicio seu censuræ morum cap. 3. §. 3. seq. p. 57. seq. distincte exposuit, illam Censuram morum fuisse inutilem intuitu 1. actionum, 2. personarum notandarum, 3. Censorum ipsorum, 4. numeri eorum, 5. modi censuram expediendi, 6. temporis, 7. finis. 8. Quia ejusmodi poenæ ad tempus & modice infamantes, etsi non per se producant poenas perpetuo & immodice infamantes, tamen nullum est dubium, quin eadem multas occasiones suppeditent, pedetentim & has introducendi, adeoque & hoc respectu, sint non parum noxiæ reipublicæ.

§. LIV.

Restat, ut jam promissi §. 2. in fine memor viam mon-
 strem inquirendi in primam originem poenarum viventes in-
 famantium, ut dubium tollatur, qui fieri potuerit, ut ejus-
 modi poenæ non solum in una vel altera Republica, sed apud
 omnes gentes in universum, (etiam per dicta §. 16. apud Ju-
 dæos postea) quamvis intuitu effectuum non ubique in eo-
 dem rigore, fuerint receptæ & adhuc etiam apud eos, qui
 Christiani dicuntur, in usu sint, cum tamen hætenus osten-
 sum fuerit, eas diverso respectu partim repugnare justis poe-
 narum finibus & utilitati Rerumpublicarum quarumvis, par-
 tim iisdem nihil prodesse. *Viam dixi me velle monstrare*
 ad inquisitionem hujus veritatis, non eandem perspicuè &
 palpabiliter ostendere. Nam hæc ostensio si non peculiarem
 tractatum haud exigui voluminis, certe peculiarem disserta-
 tionem præsentem prolixiorē requireret. Igitur ponam saltem
 hoc loco breves positiones, quarum ulteriorem meditationem
 lectori, deductionem aliis relinquo. 1. Ambitio dominans in
 hominibus judicio non carentibus, junctâ carentia judicii in
 hominibus aliis, potissimum avaris aut voluptuosus, dominante,
 est causa fere universalis & idololatriæ, vel cujuscunque crassæ
 super-

Causa impu-
 siva & scopus
 poenarum in-
 famantium
 introductæ
 rum.

superstitionis, & errorum communium reipublicæ maxime noxiorum, ac inde ortæ tyrannidis in quibuscunque rerumpublicarum formis, potissimum vero in Democratia, aut ubi plebs dominatur, præ optimatibus aut principe. 2. Quod autem in specie Monarchiam atinet, in ea sacerdotes a primis Ethnicismi initiis persuaserunt principibus, quod non melius remedium subditos in debita obedientia retinendi excogitari possit, quam persuasio populi vel per doctrinas morales aut politicas prima fronte pias, ac Reipublicæ utiles, sed quæ non possint in effectum deduci, nisi per violentiam tyrannicam, vel etiam per doctrinas absurdas, & solam tyrannidem stabilientes, populo tamen persuasas per falsa miracula. Conf. Dn. Præsid. in *Specim. jurispræd. judic. cap. 10.* 3. Sub his prætextibus decepti sunt ipsi principes, ut ejusmodi sacerdotes tyrannidem exercerent in ipsos, & principes fierent ex imperantibus & capitibus sacerdotum horum brachia. 4. Postquam ista principia pseudo-politica ex Gentilismo a Papis Romanis in praxin deducta fuerunt, iidem etiam secuti fuere effectus. Conf. Dn. Præsid. *d. cap. 10. Medit. 1. p. 113. & medit. 3. p. 124. seq.* 5. Sed & præcipua media obtinendi hanc tyrannidem ex Gentilismo in Papisimum sunt traducta: nimirum prætextus falsæ & plane irrationalis pietatis in speculatione rerum divinarum & adimplerione voluntatis Deorum consistente, sed cujus ipsi sacerdotes soli essent capaces & conscii, & cujus intuitu reliquus populus, etiam non exceptis imperantibus nulla rationatione uti, sed sola credulitate sub larva fidei in rebus speculativis, in rebus autem practicis sola cæca obedientia debeant esse contenti. 6. Usi fuerunt & hoc stratagemate sacerdotes, ut ipsi quidem viverent supra omnes leges, in tantum, ut amicis suis etiam eandem licentiam procurarent, aut saltem remissionem poenæ impetrarent, etiam in criminibus maxime noxiis reipublicæ, contra vero ut assererent, crudelissimis quibuscunque poenis omnes, sive imperantes, sive parentes esse obnoxios etiam in delictis levioribus, modo ho-



rum prohibitio ab ipsis ortum duceret, atque adeo, ut legum harum violatio haberetur pro crimine violatæ religionis aut læsæ majestatis divinæ. 7. Introductis semel ejusmodi poenis iidem regentibus non potuerunt harum usum dissuadere, sed potius iis sapius suaserunt, ut eadem crudalitate uterentur in puniendis delictis, quorum prohibitio ab imperantibus solis facta erat, quamvis & horum delictorum pauca adessent exempla. 8. His causis accessit persuasio imperantium ex falsis principiis politicis, ut non solum legibus poenalibus, iisque infamantibus prohiberentur actiones injustæ, sed & indecoræ, & præ reliquis a voluptate ortæ, cum tamen hæc magis adhortatione & exemplo imperantium & docentiam, quam legibus poenalibus emendentur ac emendari debeant. Conf. Dn. Præsid. Dissert. de judicio seu censura morum cap. 1. §. 5. seq. §. 13. seq. & cap. 3. §. 3. seq.

§. LV.

His ita suppositis jam cessabit admiratio, cur poenæ infamantes ubique regnent. Nam, ut saltem hic pauca de gentibus supra §. 4. seq. memoratis, in medium producam, initio nullum est dubium, apud Ægyptios poenas crudeles omnes præcipue originem ducere ab eorum sacerdotibus, cum idololatria maxima apud Ægyptios in usu fuerit, & ab iis ad alias gentes propagata. Conf. Witfii Ægyptiaca l. 1. c. 10. §. 9. p. 53. lib. 2. cap. 2. p. 60. seq. Voss, de orig. idol. lib. 1. c. 22. p. 85. Porro Judæi, uti ab Ægyptiis & aliis gentibus idololatria fuerunt infecti, ita & expirante Theocratia a Mose instituta, sacerdotes ac Doctores eorum sub prætextu pietatis, sæpe etiam ex serâ persuasione erroris politici de extirpandis actionibus indecoris per leges poenales, ejusmodi poenas infamantes receperunt. Huc spectat potissimum excommunicatio ab aliis Gentibus ad Judæos translata, ut quæ primario intendit infamiam & ignominiam excommunicati, sive temporariam, sive perpetuam, de cujus ortu & progressu prolixè sed non

Que probatur per exempla populorum talibus poenis infamantium.

perspicuo ordine agit Seldenus de *Synedriis Vet. Ebræor. l. 1. c. 7. seq. potissimum 10.* cujus discursum magis perspicua methodo in summam contraxit Dn. Præses in *notis ad Huberum de jure civitatis lib. 1. sect. 5. cap. 6. p. 217. seq.* ubi præ cæteris nota observationem ultimam p. 220. de tyrannide per excommunicationem quæsitæ & falsis miraculis stabilita. Adde historiam Evangelicam de odio Phariseorum erga Christum, quod personas ab ipsis pro infamibus declaratas, præcipue adulteras, non evitaret sed earum conversatione uteretur, cum iis comederet, adeoque loco odii Pharisaici iisdem signa amoris non vulgaris daret. Apud Græcos & Romanos Ethnicos cum poenæ infamantes rariorem & plerumque mitiorem usum haberent, per ea quæ supra §. 18. 19. 35. jam fuere notata, ut de exemplis observationum paragraphi præcedentis sim sollicitus non erit opus. Sufficiet, si illustrem eas per exempla Romæ Christianæ. At de hac notum est, quod ea contra doctrinam Christi & Apostolorum a Sacerdotibus Ethnicis & Judaicis, mediantibus potissimum Patribus Ecclesiæ, mox excommunicationes infamantes susceperit, mox hæreses & alia crimina infamantia & crudelioribus poenis vindicanda invenerit, & ad universas gentes, quæ postea Christianismum susceperunt, propagaverit. Evolve saltem *indicem notarum var. ad Lancelott. voce Excommunicatio & heresis*, & deprehendes multas assertiones, fere singulas observationes paragraphi præcedentis illustrantes, & simul causam aperientes, cur illa enormia mala Rebuspublicis per illa arcana Politica papalia illata hærentus in rebuspublicis Protestantium nondum sint sublata. Quod in specie inhumanam illam & infamantem poenam attinet, quæ fit per nasi abscissionem, nonnisi cum horrore legi possunt exempla frequentissima hujus crudelitatis, etiam adversus ipsos imperatores ac imperatrices usurpatæ, in seculo septimo, cum videlicet tyrannis Papatus Politici & hæretificationes ad summum quasi fastigium pervenissent. Vide omnino Arnoldum *lib. 7. der Bezer, Historie cap. 1. §. 1. 2. 3. item cap. 2. §. 5.*

Confer

Confer Dn. Præsid. *Hist. cont. int. imp. & sacerdot. cap. 5. potissimum*
§. 37. 34. 43. 44. & in caut. circa præcogn. Jurispr. Eccles. cap. 18.

§. LVI.

Imo si accuratius quis inquirere velit in doctrinas ho-
 diernas de variis generibus infamium nihil delinquentium, Et illustrantur
 exemplis eo-
 rum, qui in
 Germania
 quamvis cri-
 mine vacui,
 ab opificiis,
 ut infames
 fuerit exclusi.
 quos veteres Romani & alii populi ignorabant, patebit si non
 omnes plerasque tamen originem debere Clero Pontificio &
 Juri Canonico, & quod Clerus ad eo melius alliciendam ple-
 bem, etiam huic persuaserit, aut a plebe inventas admisserit
 absurdissimas assertiones de innocentium hominum & Reipu-
 blicæ valde utilium infamia. Sed cum jam supra §. 42. & 43.
 dixerim, hanc infamiam improprie dictam directe ad dispu-
 tationem præsentem non pertinere, aliorum industriz hujus
 asserti demonstrationem ulteriorem relinquo, quibus non
 pauca ad hunc scopum utilia præter alios suppeditabunt Illu-
 stris Gundlingius *ad pandectas de his qui not. infam. p. 289. seq. §.*
17. seq. item Hertius *Paroem. jur. Germ. lib. 1. Paroem. 12. 13. 14.*
p. 414. seq. Ita notum est, quod mores absurdi, excludentes
 hominum innocentium liberos ab opificiis diu regnaverint in
 Germania & adhuc regnent, nec potuerint omnes per ipsas
 leges imperii hæcenus cum effectu universali abrogari. Vide
Ordin. Polit. 1551. tit. 37. & 1577. tit. 38. junctis variis querelis,
 deliberationibus & constitutionibus novis imperii contra istos
 abusus præcedenti & hoc etiam seculo nondum plene extinctas,
 quarum quasdam refert Burgemeister *Tomo I. des Teutschers*
Corporis juris p. 1097. seq. Ita quis crederet, molitorum filios
 exclusos esse ab opificiis ex doctrinis Clericalibus, nisi consta-
 ret jam Caroli M. tempore ab officiorum Ecclesiasticorum ho-
 noribus a Clero & Monachis eos fuisse exclusos, Hertius *d.*
paroem. 13. p. 417. Carnifices & horum filios quod attinet, fir-
 miter mihi persuadeo, quod absurda & hypocritica doctrina
 juris Canonici, de poenis sanguineis Clero non inferendis,

de non tractandis causis sanguineis in Ecclesia, item de intercessionibus cleri pro hæreticis coram iudice seculari, ne poena sanguinis eos puniat, (sed ut potius eos vivos comburat) de quibus vide *notas variorum ad Lancelott. p. 271. 1035. 1029. seq.* primariam occasionem dederit Germanis, ut carnifices pro infamibus haberent. Quemadmodum vero ex uno absurdo sua sponte plura sequi solent, ita mihi videtur esse valde verosimile, quod etiam ex istis absurdis doctrinis tandem proflexerit opinio, cavendam esse clero & monachis conversationem cum omnibus qui sanguinem humanum effunderent, etsi id fieret ad promovendam sanitatem, unde postea populus nec barbitonfores nec eorum filios in officia recipere & pro hominibus famæ integræ habere voluit. Conf. *Dn. Præsid. insit. Jurisprud. div. lib. 2. cap. 12. §. 64.* Ex eadem doctrina juris Canonici de sacramento matrimonii, & quod omnes liberi extra matrimonium progeniti (contra usum communem juris civilis) sint pro spuris habendi, liberi etiam ex stupro geniti non admittuntur ad officia, (conf. *Dn. Præsid. coroll. 11. differi. de existimatione*) contra autem illi qui publicam meretricem in matrimonium ducunt pro talibus qui non sint excludendi ab officiis declarari solent. *Hertius præsem. 12. §. 2. p. 415.* Neque adeo mirandum, quod opifices, cleri, ad suos tumultus sæpius plebem excitantis, auxilio freti, in liberis imperii civitatibus legibus imperii sæpe non pæseant, ac magistratus urbici præcepta contemnunt; cum publicæ novellæ hujus anni testentur, eos Viennæ, in ipsa residentia Potentissimi Imperatoris aliquoties tumultus excitasse.

§. LVII.

Cautela circa
abrogationem
salium poena-
rum infaman-
tium adhi-
benda.

Sufficiant hæc de prima quaestione. (*vide supra §. 29.*)
Ad secundam quaestionem quod attinet: An poenæ, quæ viven-
tes infamant, sint abrogandæ? videbatur quidem prima fron-
te cum Titio ea simpliciter esse affirmanda, cum hæctenus
suffi-

sufficienter, ut puto, ostensum fuerit, quod pœnæ perpetuo infamantes sint reipublicæ noxiæ, ad tempus autem infamantes nullam vel exiguam utilitatem eidem præbeant, per dicta §. 51. & 53. & cum communis persuasio in Politicis regnet, quod Respublica non melius & efficacius emendari possit, quam per leges. Sed si rem paulo accuratius consideres, deprehendes in eo quidem Titium recte scripsisse (*supra* §. 2.) quod non deberent usum habere ejusmodi pœnæ, sed propter ea non sequitur eas, si hactenus usum habuerint, esse statim abrogandas per alias leges, non magis ac si Medicus cognoscat, hoc vel illud esse sanitati noxium, aut effectum morbi, & homini valde adueto usui illius rei noxiæ, usum omnem ejus statim interdiceret, aut præcipere jam ægrotanti podagrico aut paralytico velit, ut e lecto statim surgere ac circumire aut saltare debeat. (Conf. Dn. Præsid. *Dissert. de Charact. & circumsp. Medici ad cur. sæd. prot. adhib. §. 22. p. 38.*) Non confundendæ sunt quæstiones de justo & injusto, cum quæstionibus de utili aut inutili, sive quæstiones morales cum politicis juris publici, cum quæstionibus de prudentia legislatoria. In eo consentio cum Titio, contra ejus adversarios, quod abrogatio ejusmodi non peccet contra præcepta justitiæ, cum leges pœnales non obligent Principem, (Grot. *de J. B. & P. lib. 3. c. 14. §. 2. n. 3.*) & quod, si ejusmodi abrogatio commode fieri possit, per se non sit nocitura Reipublicæ, sed potius eidem profutura. Sed in eo dissentio a Titio, quod Princeps agnoscat veritatem primæ quæstionis, statim abrogare debeat ejusmodi pœnas infamantes. Etsi enim ipse Princeps agnoscat, metuendi tamen sorte Principi sunt tumultus, si statim abrogare velit rem, de ejus usu insigni, etsi erroneæ, adhuc persuasæ sint Docentes populum, & ex populo non solum plebeji sed & honoratiores; Recordabitur adeo princeps v. g. Christiani I. Elect. Saxoni exorcismum lege publica abrogare volentis. Recordabitur Recessum imperatoris, pocula sanitatis prohibentium, & quod illis non obstantibus

in conventibus potentum quotidie continuata fuerint pocula in sanitatem ipsorum recessuum. Adde, quod mores civium unius Reipublicæ tam vitiosi ac stulti, quam virtuosi & prudentes, plerumque inter se arctiore & sæpe latente vinculo sint connexæ, ut etiam si unum genus vitii aut stultitiæ cognoscat legislator, non tamen statim certus sit, an cognoscat & fontes illius stultitiæ, & an sublato uno vitio tollantur etiam reliqua occulte connexa: Ergo ante omnia tentabit princeps, imprudenciam pœnarum infamantium, de quibus ago, agnosceret, ut etiam agnoscat fundamentales errores politicos, supra §. 54. per indicem propositos, & deliberet, utrum & hos simul tollere velit & possit. Ita in causa simili considerabit v. g. noxium fore Reipubl. si tollatur pœna capitalis furum ad exemplum Reipubl. Mosaicæ, si non simul tollatur, ut alia taceam, tot genera vivendi otiosa aut ad otium (etiam eruditum & pharisaicum) irritantia, quæ exulabant in Republica Mosaica. Interim tamen operam dabit Princeps prudens, ut doctrinas Academicas, communes istos errores Politicos ex Papatu etiam in Academiis Protestantium passim regnantes, ad oculum demonstrantes non prohibeat, sed eas tueatur, & impetum contra latantium (sub prætextu blasphemix, atheismi &c.) efficaciter, sed tamen absque crudelitate coërceat. Imo ipse Princeps non solum operam dabit, ne pœnæ infamantes in posterum augeantur, & ita malum politicum latius serpat, sed & tentabit, ut unam & alteram pœnam, præprimis perpetuo infamantem, & ob exempla delinquentium frequentem, in aliam mitiorem & Reipublicæ magis utilem mutet. Conf. iterum Dn. Præsid. dict. Dissert. de *chastitate Medici* &c. §. 23. & 24. p. 41. seq.

§. LIX.

Subjunctis
paucis quibus-
dam exemplis,

Possent hic subsistere, imprimis, cum maxime desiderem finem imponere dissertationi, quæ præter spem sub manibus crevit, et si tantum non ubique maxime operam dederim, ut ea, quæ

quæ passim prolixiorẽ explicationem videbantur postulare, in summam contraherem. Sed tamen cum exempla quædam alia cautelas paragraphi præcedentis illustrantia & ad præsentem materiam propius pertinentia, jam succurrant, paucis ea addere licebit. Dixi supra §. 37. apud Germanos hodie nec ictum fustium infamare, nec causam seu delictum, sed potissimum carnificem poenam fustigationis applicantem. Quidsi ergo princeps carnificis officium plane tolleret, aut quidsi omnem infamiam tolleret a carnifice & ejus officio? Præcipuis cum hæctenus sæpius ostensum fuerit, illam infamiam esse plane irrationalem, & cum nemo dubitet, principem posse famam infamatis reddere, & infamiam civilem tollere. Sed prius quidem, id est totalis sublatio officii carnificis, sive insigni rerumpublicarum nostrarum damno fieri haud poterit. Posterius vero non suadendum principi, aut ejus consiliariis Politicis, ne communes Politicorum adversarii eos coram plebe, non quidem solius vulgi sed etiam eruditorum, autoritatis præjudicio immeritorum traducant, tanquam & ipsi infames essent, & principis famam consiliis suis proflituerent. Similes ineptias olim Wenceslao Imperatori intuitu frequentis cum carnifice conversationis, & quod ipsum compatrem appellaret, recensitas ac refutatas a Dn. Præside vide in *dodec. quest. promisc. quest. 2. §. 5. & 6.* Mediam viam hic tenent leges & mores poenarum hodiernarum, ubi ex parte poenæ infamantes tam capitales quam non capitales & ita etiam officium carnificis, fuere retentæ; ex parte vero sublato carnificis auxilio infamia punitorum tam in poenis capitalibus quam non capitalibus fuit remota & exclusa. Vide Dn. Ludovici *Einleit. zum Briegs; Process. cap. ult. §. potiss. §. p. 205. seq. Conf. supra dicta §. 37.* Denique (ut jam alias similes Constitutiones noviores in vicina Saxoniam & alibi, poenam fustigationis abrogantes, taceam,) Potentissimus Rex Angliæ GEORGIUS, Dominus meus Clementissimus, in Ducatu Hanoverano sapientissime mutavit poenam fustigationis infamantem

mantem in poenam condemnationis ad operas publicas, quæ constitutio, cum maxime confirmet rationes mex sententiæ, dignissima videtur, ut integra hoc loco apponatur. P. P. Demnach die Erfahrung bisshero gegeben, daß diejenigen delinquenten, deren Verbrechen nach Anweisung der Halsgerichts Ordnung Kayfers Caroli V. auch sonst befundenen Umständen nach, die Straffe des Staupenschlags und derselben anklebende ewige Landes-Verweisung verwürckt, durch Vollstreckung sothaniger Straffe nicht allein zur Besserung ihres Verhaltens nicht gebracht, sondern vielmehr veranlasset werden, an andern Orten, dahin sie sich nachhero begeben, wohl annoch grössere und enormere Ubelthaten, als sie vorhin begangen, nemlich Strassen-Raub, Morden und dergleichen auszuüben, inmassen sie durch den erlittenen Staupenschlag in den Stand gesetzt, daß Sie aller ehlichen Handthierung, um davon ihren Lebens Unterhalt zu erwerben, ganz ohnfähig seyn, dahero zu nicht anders als zu obbemelte enorme crimina, da Sie ihres Lebens Unterhalt haben wollen, zu greiffen sich gleichsam genöthiget sehn, dahingegen, wenn sie an statt obbedeuteter Straffe des Staupenschlags ad operas publicas, oder in ein Zuchthaus, und zwar beydes in perpetuum condemniret werden, das Publicum nicht nur wieder alles Unhele, welches sonst von ihnen zu befürchten ist, gesichert seyn kan, und die Delinquenten mit der Zeit ehender zur Besserung gebracht werden können, als wenn der Staupenschlag an ihnen exequiret wird, sondern es ist auch ohne dem leicht zu ermessen, daß solche Straffe der condemnation ad operas publicas oder des Zuchthauses, bey denen übelgesetzneten mehr Nachdruck haben werde, um sie von denen Ubelthaten abzuschrecken, als die Straffe des Staupenschlages, indem

indem nach erlittener dieser Straffe sie jednoch die Freyheit behalten anderwärts obbedeuteter massen übel zu thun. So verordnen Wir krafft Unser hohen Landes Fürstlichen Obrigkeit hiemit, daß in Unsern Landen die Straffe des Staupenschlags, mit der anklebenden ewigen Landes Verweisung, fernhin nicht erkandt, sondern an deren statt diejenigen Delinquenten welche durch ihr Verbrechen, denen Gesezen nach, obbedeutete Straffe des Staupenschlags verwirckt, ad operas publicas, oder zu dem Zuchthause und zwar beydes in perpetuum condemniret werden sollen; Wir befehlen demnach allen Obrigkeiten, Magistraten und Gerichts Innhabern in Unsern Fürstenthüimern und Landen, denen die Judicatur über dergleichen Verbrechen, welche den Staupenschlag in denen Rechten mit sich führen, zustehet, hiemit ernstlich, daß dieselbe respective hinkünftig sich nach dieser Verordnung in judicando achten, oder welche die Urtheile nicht selbst abfassen, sondern zu deren Einholung die Acta an auswärtige Rechts-Gelahrte verschicken, diese Unsere Ordnung zur Nachricht des referentis extranei denen actis mit beyfügen sollen. Daran geschiehet Unser Wille.

P. S. Weilm es auch mit dem so genandten Schand-Pfahle auf gewisse Masse eine gleiche Verwandniß, als mit dem Staupenschlage hat, daß nemlich die delinquenten, an welchen die Straffe des Schand-Pfahles vollstrecket wird, dadurch zu allen ehrlichen Handthierungen, um damit ihren Lebens Unterhalt zu erwerben, unfähig gemacht worden; So verordnen krafft dieses Wir auch hiemit, daß solche Straffe des Schand-Pfahls fernerhin in Unsern Landen gleichfalls nicht erkandt, sondern an deren statt diejenige Delinquenten

quenten, welche ihrer begangenen Verbrechen halber die Straffe des Schand-Pfahls, denen gemeinen Rechten nach verdient haben, dem Befinden nach, ad operas auf eine, nach proportion des Verbrechens, zu determinirende Zeit, condemniret und vertheilet werden sollen. Wornach sich dann die hohen Gerichte, Magilstraten und Gerichts Innhabere in Unsern Fürstenthümern und Landen, denen über diejenige Verbrechen, welche den Schand-Pfahl mit sich führen, zu judiciren zu stehen, sich gleichfals zu achten haben: Was aber den so genandten Straff-Pfahl betrifft, bleibet derselbe nach wie vor nicht allein beybehalten, sondern es soll auch derselbe an denen Orten, da dergleichen bisshero nicht im Gebrauch gewesen, hinkünfftig angeordnet werden. Geben Hanover d. 28. Decembr. 1717.

FINIS.





ULB Halle
001 618 954


3



sb







1792.

PROBLEMA JURIS PVBLCI,
AN
**POENÆ VIVEN-
TIVM, EOS INFAMANTES,
SINT ABSVRDÆ, ET
ABROGANDÆ?**

QVOD
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
PRÆSIDE
DN. CHRISTIANO THOMASIO, JCTO,
SACRÆ REG. MAJEST. BORVSS. CONSILIARIO INTIMO,
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ DIRECTORE, PROFESSORE JURIS
PRIMARIO, FACVLTATIS JVRIDICÆ PRÆSIDE ORDINARIO
& h. r. DECANO

D. V. APRILIS ANNI MDCCLXXIII.

H. L. Q. C.

PVBLCO EXAMINI SVBJICIET

AVCTOR

JOHANNES HENRICVS DE KALM,
BRVNSVICENSIS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,
LITERIS Salfeldianis.

